JESUS FORTUNET!

HISTORIA JOHANNIS FRIDERICI I. ELECTORIS SAXONIÆ PII MAGNANIMI CONSTANTIS INCLYTI

QVAM

In Academia Johan-Fridericiana

PRAESIDE

CASPARE SAGITTARIO

SS. THEOLOG. D. HISTOR. PROFESS. PUBL. FACULT. PHILOSOPH. h. t. DECANO.

Publice examinandam proponit

JOHANNES FRIDERICI

Plavia-Variſcus.

Ad diem VII. Decembris,

Anni cIɔ Iɔc LXXVIII.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.

Anno M DCC XV.

Digitized by Google

Digitized by Google

JESU FAVENTE!

DUm mihi animus eſt, Lector benevole, natales, virtutes, geſta, & fortunam Sereniſſimi Principis ac Domini, Domini JOHANNIS FRIDERICI, Ducis Saxoniæ, Sacri Romani Imperii Archi-Mareſchalli & Electoris, Landgravii Thuringiæ, Marchionis Miſniæ, & Burggravii ıgdeburgenſis, Exercitatione hiſtorica, ſi non prome- is, ſaltem pro modici ingenii viribus celebrare, & in thedra Academica publice examinandam proponere; nmi Philoſophi Platonis ſuccurrit dictum a Cicerone petitum: *Non nobis ſolum nati ſumus, ſed ortus noſtri par- Patria, partem Parentes vindicant, partem amici.* (1.) ıgulis ſcilicet quadamtenus gratificandi præſens argu- ntum videtur eſſe conveniens. Puto enim me hac ione ex parte gratum fore Patriæ chariſſimæ, dum oc- patus ero in celebrandis rebus geſtis Sereniſſimi Nepo- ERNESTI, incluti Ducis ac Electoris Saxoniæ, qui thenum Dynaſtam Plavienſem, ſubditis ſuis non mi- , quam vicinis infeſtum, patriis terris ejecit, & Plavi- ab ejus poteſtate liberatam, in tutelam clementiſſimam epit. (2) Et poſt divinum quidem Numen ERNE-

 STO

(1) Cicero *lib. 1. de Officiis.*

(2) Georgius Fabricius, *Originum Saxonicarum libro VII, pag. 777.* Elias ıerus, *in Genealogia Stemmatis VVittekindei, pag. 40.*

JOHANNIS FRIDERICI, a patruo FRIDERICO Sapiente Electore, & Patre JOHANNE procul dubio ipſi fuit.

II.

Patrem habuit Johannem, Ducem & Electorem Saxoniæ, Erneſti Electoris filium: Matrem Sophiam, Magni II. Mecklenburgenſis Ducis filiam, duodecim a partu die extinctam.

Ab originibus inclytam familiam Saxonicam deducere, illuſtreſque de ea controverſias vel movere, vel decidere, nec vires patiuntur, nec noſtri inſtituti eſt. Factum id ab aliis. (1) Principium modo propoſiti erit illud tempus, quo illuſtriſſima familia in lineam Erneſtinam & Albertinam fuit diviſa. Nimirum Fridericus II. Elector Saxoniæ, qui Placidi nomen meruit, duos reliquit filios, Erneſtum, in Electorali dignitate ſucceſſorem, & Albertum Ducem Saxoniæ ac Gubernatorem Friſiæ Orientalis. Erneſtum excepit Fridericus III. Sapientis elogio poſteritati commendatus: cui in Electoratu ſucceſſit frater JOHANNES, Noſtri JOHANNIS FRIDERICI Genitor, pietate ac fortitudine inclytus Heros. Hic adoleſcens (2) Friderico III. Imperatori Romano comes ivit in Italiam, poſt in Ungaria filio ejus Maximiliano I. militavit: ſub cujus expeditionibus bellicis in obſidione Albæ Græciæ mœnia primus conſcendit, & coronam muralem reportavit. Eidem Imperatori contra Venetos belligeranti fortem ac fidelem operam præſtitit: Wittebergenſem Academiam cum fratre erexit, ac ortum vivo adhuc fratre bellum ruſticum initio

[1] Alberto Crantzio, *in Saxonia.* Georgio Spalatino, *in Chronico Saxonico.* Georgio Fabricio, *in Originibus Saxonicis.* Chytræo, *in Saxonia.* Reuſnero, *in Genealogia ſive Enucleatione inclyti Stemmatis VVittekindei.* Cyriaco Spangenbergio *in Chronico Saxonico.* Petro Albino, *in Chronico Miſnenſi*: item im neuen Stammbuch des Königlich und Fürſtlichen Hauſes Sachſen. VVolfgango Krauſio, *in Chronico Miſnico.* Laurentio Fauſto, in der Erklärung des Fürſtlichen Stammbaums der Hertzogen zu Sachſen. Spenero, *in Sylloge Genealogica.* Tobiæ Pfannero, *in elegantiſſimo nuper edito libello de præcipuis Germaniæ Principum domibus, earumque ortu, diviſione in familias, titulis, Avitorumque juribus.*

(2) Crantzius, *in Saxonia*: ex quo repetiit Fabricius, *Rerum Miſnic. p. 24.* Reuſnerus & Heiderus *locis citatis.*

tio regiminis ſui ſedavit. (3) Cæſi enim ipſius auſpiciis rebelles ruſtici, eorumque fax & tuba Münzerus, Gideonis enſem ſomnians, captus, & cum aliis concitoribus capitis damnatus eſt. Viſitationem Eccleſiaſticam inſtituit, (4) miniſtros Evangelicos ubique præficiens Eccleſiis. Auguſtanæ Confeſſioni ſubſcripſit, eandemque Carolo V. Imperatori anno cIↃ IↃ XXX. die XXV. Junii, una cum aliis Imperii Germanici Proceribus obtulit, ejusque Apologiam per Philippum Melanchthonem curavit adornari. Quo de argumento uti multa in Sleidano, Thuano, Chytræo, Oſiandro, Cœleſtino, Hortledero; ita ſingularia nonnulla in Sauberti *Miraculis Auguſtanæ Confeſſionis* occurrunt. Sed his omnibus pro gloria Dei fortiter geſtis, clara quidem nomina Boni & Conſtantis (5) meruit: attamen odium Cæſaris, aliorumq; Principum invidiam non effugit: ac ab Iſto etiam tum propter alia, tum inprimis ob fœderis Smalcaldici inſtitutionem, ſolennem Electoratus Saxonici inveſtituram, pactorumque Juliacenſium hæreditariam confirmationem non potuit impetrare. Cum enim illa in laudatis comitiis, ut antea ſæpe per libellos ſupplices, ita tunc coram expeteret, Cæſar per Fridericum Palatinum, & Henricum Comitem Naſſovium reſpondit: *Niſi relicta Evangelica religione, ad Eccleſiæ Romanæ obedientiam rediret, Cæſaream Maieſtatem nequaquam velle ei regalia Electoratus Saxonici conferre, & pacta cum Duce Juliacenſi inita confirmare.* (6) Sed nullis minis ad recipienda Eccleſiæ Pontificiæ decreta, utpote Scripturæ Sacræ adverſa potuit revocari. Vt paucis me expediam, Johannes Elector, ſeculi ſui ſplendor ac immortale decus, Princeps fuit avitis, paternis, fraternisque virtutibus ſimillimus, qui nihil

B　　　in

(3) Johannes Sleidanus, *Commentarior. de Statu Religionis & Reipubl. lib. V.* Fabricius, *Rer. Miſnic. p. 24.* Reuſnerus, *Enucl. Stemm. VVitteck. p. 43.*

(4) Chytræus, *in Saxonia lib. XI. p. 392.* Hortlederus, *Parte II. de Cauſis Belli Germanici lib. III. cap. XCI. pag. 1018.* Ægidius Strauch, *Continuationis Sleidani de IV. ſummis Imperiis, pag. 14. 15.*

(5) Fabricius, Chytræus, Reuſnerus, Dreſſerus, Spenerus, *locis laudatis.* Jacobus Auguſtus Thuanus *Hiſtoriarum lib. II. Tomo I.*

(6) Chytræus, *in Saxonia lib. XIII. p. 322.*

Digitized by Google

in vita niſi laudandum aut fecit, aut dixit, aut ſenſit: quod de Scipione prædicat Vellejus Paterculus. (7) Maternum vero genus deducit Noſter a Sophia, Principe Meckelburgica, Magni II. Ducis filia, cui nulla virtus deeſſe potuit, cum pleniſſima adeſſet pietas. At enim talis tantaque fœmina duodecimo ab hoc puerperio die placide exſpiravit, & non diu poſt Torgæ ſepulta eſt. (8)

(7) *Hiſtoria Romana lib. I. cap. XII.*

(8) Fabricius, Reuſnerus, *locis laudatis.* Roſinus, *in Vita Johannis Electoris*, Spenerus *in Syll. Gen. p.* 347. 713. 714.

III.

Illuſtribus ſtudiis Johannes Fridericus initiatus, egregiæ indolis in pueritia dedit ſpecimina, & porro ſpe eximia adolevit.

Paterni maternique animi indicia jam tum velut in Cyro & Alexandro M. per pueritiam in Noſtro comparuerunt. Matre enim orbatum, Sereniſſimus Genitor educationi & informationi Georgii Spalatini, (1) pietate & eximia eruditione præſtantiſſimi Viri, ad quem etiam Papa Leo X. ſcribere non verecundatus eſt, in aula ſua commiſit: hac conditione, ut traditum fidei ſuæ Principem, tanquam chariſſimæ Conjugis, cum qua ſibi vix triennium datum vivere, unicum deſideratiſſimumque pignus, diligenter ſervaret, ne infectus pravis aulæ moribus vergeret in deterius; ſed ſummo ſtudio in id juxta incumberet, ut pietate inprimis, moribus deinde Principe Chriſtiano dignis, atque honeſtis diſciplinis quam optime imbueretur. Quæ res Noſtro ad maxima egregiæ indolis incrementa profuit. Nam ſub hoc feliciſſimo ætatis puerilis artifice, pietate, & optimis literarum ſtudiis, maxime autem hiſtoricis (enim vero Spalatinum inter Hiſtoricos haut vulgare nomen habuiſſe certum; ac edita non minus, quam quæ in tabulariis Saxonicis aſſervantur manuſcripta, produnt) bene

fuit

(1) Roſinus *in Vita Johannis Electoris.* Sleidanus *lib. I.* Frider. Hortlederus *Part. I. lib. IV. cap. XXIII.* Melchior Adami *in Vita Spalatini, in Hiſtoria Theologorum Germaniæ.*

Digitized by Google

fuit eruditus, atque adeo ſic ſatis feliciter pro Sereniſſimi Parentis voto adolevit. Hanc egregiam inſtitutionem poſt illa de hoc Præceptore ſuo aliquoties prædicavit, doluitque anxie, quod non licuiſſet ſibi diutius ejus doctrina uti, cum ſperasſet utique ſub illo magnos in literis progreſſus facturum. Nec minus queſtum accepimus de ſucceſſore Spalatino impari, M. Coldicio, quique vel eo nomine non adeo bene de ſe eſſet meritus, quod aliquanto liberiorem vitam indulſerit. (2) Inter reliqua autem egregiæ indolis ſpecimina non immerito referendum, quod puer octennis ad modum ceterorum puerorum publice in Eccleſia Catechiſmum perorantium, idem ſibi permitti a Patre expetierit, & loco precibus relicto, incredibili cum auditorum admiratione ac voluptate perfecerit. In cujus ſingularis pietatis memoriam B. Megalander Lutherus hymnum Mariæ evchariſticum theologica explicatione illuſtratum, & Prophetam Danielem civitate Germanica a ſe donatum, illuſtri ejus nomini inſcripſit. (3) Porro puer ob graſſantem peſtem in arce Wartburgenſi prope Iſenacum aliquandiu degens, agaſoni ob præſtitam neſcio quam opellam, ſe togam daturum promiſit. Quod cum poſt annos aliquot non incommode per ſupplex epiſtolium in memoriam revocaretur Principi, confeſtim recordatus, dixit: *Quodcunque Princeps inclyta familia ſatus promiſit, id ut præſtet neceſſum eſt.* Et ne differendo videretur negare, exutum protinus amiculum agaſoni dedit, qui eo vendito, victum cultumque corporis in multum tempus ſibi ſufficiens comparavit. (4) Et adeo quidem integritati morumque probitati ſtuduit, ut Sereniſſimus Pater aliquando ad Lutherum dixerit: filium ſuum Johannem Fridericum mire probum ac candidum eſſe, & nimium tribuere Ordini Equeſtri, qui ipſum olim in magnum ſit adducturus diſcrimen. (5)

(2) Roſinus *in ejus vita.*

(3) Roſinus *d. l.* Præfatio illa in Danielem J. Friderico inſcripta habetur *Tomo V. Altenburgenſi, pag. 1.*

(4) Roſinus *d. l.* Hortlederus *Parte II. lib. III. cap. XCI. pag. 1016. 1017.*

[5] Lutherus *Tomo V. Altenburgenſi, pag. 154.* Roſinus *d. l.*

IV.

1519. Anno cIↄ Iↄ XIX. inter Ipſum & Catharinam Philippi I. Regis Hiſpaniæ filiam facta ſunt ſponſalia, ſed ob religionis diverſitatem poſtea reſciſſa. Aliam tamen Deus poſtea Ei dedit conjugem, Sibyllam, Johannis III. Juliaci, Cliviæ ac Montium Ducis filiam, quam anno cIↄ Iↄ
1527. XXVII. Torgæ in Matrimonium duxit.

Nimirum, cum Maximilianus Cæſar diem ſupremum obiiſſet, & in ejus locum Carolus V. anno cIↄ Iↄ XIX. maxime Friderici III Saxonis ſuffragio (qui delatum imperium ingenti animo recuſabat) deſignatus eſſet, magnam pecuniæ vim per legatos Friderico obtulit. Sed is cum rejeciſſet, aliam aggreſſus viam, Catharinam ſororem germanam fratris Johannis filio, Noſtro Johanni Friderico uxorem promiſit, dieque III. Julii eodem anno ſingulari diplomate confirmavit. (1) Scilicet ſe his ſponſalibus Saxonum animos in religione diverſum ſentientes Eccleſiæ Romanæ in poſterum facilius conjuncturum ſperabat. Verum, poſtquam conſilium fefelliſſet, ſororem Johanni III. Regi Portugalliæ nuptam dedit. Noſter, tunc ſedecim annorum adoleſcens, maluit regia ſponſa excidere, quam Evangelicam religionem Pontificia commutare. Igitur cum tempore de alia vitæ fortunæque ſocia fuit ſolicitus, & cœlo ita ordinante, ac in re tanta diligenter occupatis. (2) Wilhelmo Comite Naſſovio, Philippo Solmenſi, Wilhelmo Nevenario, Comitibus, Sibyllam, virginem eximiæ virtutis & pulchritudinis, Johannis III. Juliaci, Cliviæ & Montium Ducis filiam, utriusque Parentum conſenſu, anno cIↄ Iↄ XXVII. die IX. Martii magnifica pompa ſibi in matrimonium collocari curavit Torgæ; præſentibus Sereniſſimo Parente, (3) Georgio & Henrico Ducibus Saxoniæ, Philippo Landgravio Haſſiæ, Wolfgango Palatino, Ulrico Duce Würtenbergico, Henrico

(1) Tangit hæc ſponſalia Paulus Langius *in Chronico Citizenſi p. 880.*
(2) Spenerus *d. l. pag. 355. 356.*
(3) Spangenberg. *Chronico cit. cap. CCCLXIII.*

Digitized by Google

rico Duce Meckelburgico, Erneſto & Franciſco Ducibus Brunſvicenſibus & Lüneburgenſibus, Wolfgango Principe Anhaltino, Günthero Comite Schvvartzburgenſi, Philippo Comite Waldeccenſi, Juſto, Gebhardo & Alberto Comitibus Mansfeldenſibus, magnaque nobilium manu. Solemnia nuptialia ſplendidisſimo cum apparatu, exquiſitisſimisque gaudiis (quæ inter ludorum equeſtrium pompa ſingulariter conſpicua, cui ipſe Serenisſimus Sponſi Pater nomen dare, & citato curſu ſuſpenſum circulum petere voluit) per integram hebdomadam fuere celebrata. Cæterum hæc eſt inclyta illa Sponſa, quæ Serenisſimæ Domui Saxonicæ ſucceſsionis Juliacenſis jura jam olim a Friderico III Imperatore ob inſignia merita Eidem clementisſime collata, a Maximiliano I. firmata & aucta, denuo attulit, eoque perfecit, ut ab exceſſu ultimi hujus familiæ Ducis, Rudolphus II. ac ceteri Auguſti ſucceſſores ea ipſa auctoritate Imperatoria per gratioſisſima diplomata confirmarent, ac titulus *Ducum Juliæ, Cliviæ ac Montium, Comitum Marcæ & Ravensbergæ, Dominorum Ravenſteinii* Saxoniæ Ducibus maneret. (4) Conjugii hujus elogium optime expresſit Theander Lutherus, dum cum Collegiis ſacrarum virginum & religioſisſimorum virorum pie comparavit. (5). Ex illo autem nati ſunt Johannes Fridericus II. Johannes Wilhelmus, Johannes Erneſtus, & Johannes Fridericus III. quorum educationi & inſtitutioni Serenisſimus Genitor præfecit pientisſimum æque & eruditisſimum virum, Juſtum Jonam, Wittebergenſem poſtea Profeſſorem Theologum, hinc Eccleſiaſten Hallenſem, ac in Ephoria Eisfeldenſi demum vita functum: (6) ac deinceps ſucceſſorem dedit non indignum, Baſilium Monnerum, qui ob ſingularem raramque eruditionem more ſeculi Baſilius Vinatienſis dictus: quique inter Senatores Conſiliarios, ac denique Juris in hac Salana Academia Profeſſores cooptatus fuit. (7.) 1527.

(4) Dn Johannes Strauchius, *Diſſertationum Exotericarum X. §. 12. ſqq.*

(5) Rufinus *in Vita J. F.*

(6) Thuanus *T I. lib II.* Melchior Adami *in Vita Juſti Jonæ.*

(7) Hortlederus *Parte II. lib. II. cap. XXX. pag. 171. & cap. XXXIV. pag. 213.*

1527. Et hi quidem tanto ſtudio illuſtrisſimæ fratrum quadrigæ pietatem, bonasque literas inſtillarunt, ut ephebi in Academia Wittebergenſi ſtudiorum cauſa verſantes, in conſpectu Sereniſſimi Parentis, aliorum Principum, Comitum & Nobilium, juxtaq; totius Academiæ procerum ac ſtudioſæ juventutis, cum ſingulari omnium applauſu latino ſermone publice peroraverint. (7)

(7) Roſinus, *in Vita J. F.*

V.

1530. **Anno cIɔ Iɔ XXX. Auguſtanæ Confesſioni ſubſcripſit, eamque cum aliis Imperii Statibus Carolo V. Cæſari Auguſtæ Vindelicorum obtulit.**

De exhibita Evangelicæ fidei Confesſione ſectione II. actum; ibidemque Scriptorum aliqui laudati. Satis erit hoc loco monuiſſe, JOHANNEM FRIDERICUM Noſtrum his Auguſtanis Comitiis interfuiſſe, Confesſioni una cum Patre & aliis quibusdam Imperii Germanici Statibus ſubſcripſiſſe, ſubſcriptam Carolo V. Cæſari intrepide exhibuiſſe, exemploque Serenisſimi Patris vitam & fortunas gravisſimis periculis objeciſſe. Et memoratu quidem eſt dignisſimum, quod dum in his Comitiis Doctores Pontificii verba Chriſti in inſtitutione Sacræ Cœnæ: *Bibite ex hoc omnes*, unice ad Clericos pertinere pertinaciter aſſererent; facete æque ac prudenter regeſſerit Noſter: Ergo & illud Chriſti: *Vos mundi eſtis, ſed non omnes*, etiam vobis tantum dictum erit. (1)

(1) Roſinus, *in Vita J. F.* ex Thomæ Stybari, *Hiſtorica narratione de Vita JOHANNIS FRIDERICI.* Johannes VVolfius, *Tom. II. Lectionum Memorabilium Centuria XVI. pag. 515.* Hortlederus, *Parte II. de C. B. G. lib. III. cap. XCI. pag. 1016.*

VI.

1531. **Anno cIɔ Iɔ XXXI. Serenisſimi Patris nomine Ferdinandi I. in Romanum Regem electioni publice contradixit Coloniæ.**

Præſenti anno cIɔ Iɔ XXXI. illuſtrem legationem nomine Sere-

Sereniſſimi Patris valetudine impediti, Georgio Spalatino, & aliquot Conſiliariis comitatus, obivit Coloniæ; ac ſumma cum fide in ea ſe gerens, Carolinæ Legis, ſive Aureæ, quam vocant, Bullæ præſcripto & auctoritate, nec non avita conſuetudine nixus, Ferdinandi Bohemiæ Ungariæque Regis, fratris germani Caroli V. Cæſaris, electioni & renunciationi in Regem Romanum in Senatu Electorali publice contradixit. Et licet ad ſummam rei nihil proficeret; (renunciatio enim paulo poſt ſecuta) tamen, quod unum poterat, ſedulo urgebat, ſcilicet electionem iſtam videri illegitimam, ac ob id Patri Electori nequaquam probari. (1) 1531.

(1) Sleidanus, *lib. VII.* Thuanus, *Tom. I. lib. II.*

VII.

Anno clɔ Iɔ XXXII. Patri rebus humanis exemto in Electorali dignitate ſucceſſit, acceptamque religionem Evangelicam ſumma pietate & conſtantia tutatus eſt: unde Pii & Conſtantis cognomina adhuc vivus ſummo merito reportavit. Electoratum ſolus, Ducales vero provincias aliquandiu regimine ſocio cum fratre Johanne Erneſto rexit. 1532.

In partem regiminis vivus videnſque Pater filium vocaverat, (1) ut magis in poſterum par ferendo foret oneri: at Sereniſſimo Parente vita functo, totius imperii Electoralis & Ducalis magnitudo ejuſdem humeris imponebatur. Nam ab anno clɔ Iɔ XXXII. uſque ad an. clɔ Iɔ XL. ſuo & impuberis Johannis Erneſti fratris nomine; inde, uti conſtituerat Parens, per biennium ſimul cum fratre Ducalis ditiones feliciter gubernavit. Poſt initam vero cum fratre hæreditariam terrarum diviſionem, cum is Ducatum accepiſſet Coburgenſem, ut Ipſe antea Electorales, ita exin Ducales quoque provincias ſuas ſolus rexit. Quanta vero id fecerit cum pietate, prudentia, juſtitia & clementia, omnes & ſinguli ſubditi ſunt experti. Enimvero initium a Deo rebusque divinis faciens, ſolli-

(1) Roſinus, *in Vita J. F.*

1532. ſollicitam Eccleſiarum viſitationem per laudatisſimos Theologos, Georgium Spalatinum, Juſtum Jonam, & Nicolaum Ambsdorffium curavit inſtitui. (2) In hac cum deprehenſus Eccleſiæ cujusdam agreſtis Paſtor Catechiſmi ignarus, ægerrime tulit, & ut inpoſterum ſingulis concionibus catecheticis publica Catecheſios lectio in terris ſuis præmitteretur, ſaluberrime ſtatuit. Gratiam ſuam & munificentiam in bonas literas ac literarum ſtudioſos multoties teſtatus, quaſi alterius inſtar Mæcenatis egit. Teſtis Academia Wittebergenſis, quam clementisſime fovit & nutrivit, ibidemque ſtudioſæ juventuti luculenta ſtipendia elargitus eſt: cujus donationis tabulas exhibet Fridericus Hortlederus. (3) Caſparis Crucigeri, Johannis Bugenhagii Pomerani, Theologorum Wittebergenſium, & Johannis Æpini Paſtoris Hamburgenſis Panegyrin Doctoralem præſentia ſua ſplendidisſimam reddidit. (4) Honeſtas virgines ob paupertatem innubiles dotibus, ſuis elocavit ſumtibus. Pauperibus non minus quam opulentis & potentibus æquabile jus dici curavit: petentibus conveniendi aditum dedit facilem; & ut paucis me abſolvam, ita imperavit, ut ſubditis univerſis merito eſſet charisſimus. Atque tam egregios magni Principis mores ipſi etiam hoſtes admirati ſummis celebrarunt laudibus: ex quibus ſufficiat nonnulla attuliſſe ex Ludovico de Avila, Ordinis Alcantara Equitis, Hiſpani Chiliarchæ, *Hiſtoria belli Caroli V. cum Smalcaldici fæderis ſociis*: quæ ex Hiſpanico Italice ac Gallice, & exin a Gvilielmo Malinæo Brugenſi latine reddita, poſt a Sereniſſimo Brunsvvico-Luneburgenſi Duce Philippo Magno germanice verſa, & demum in Opus Hortlederianum translata eſt. *Dux*, inquit, *Saxoniæ fortitudine, magnificentia, prudentia, humanitate conſpicuus, in omnibus actionibus ſuis ſingulari utitur modeſtia: etiam liberalis eſt admodum. Et ob hanc virtutem multiplicem per univerſam Germaniam ab omnibus & ſingulis in ſumma habitus dignitate, ubique amico-*

(2) Chytræus *in Saxonica lib. XV.*
(3) *Parte I. lib. V. cap. XXII.*
(4) Bucholzerus *in Chronologia.* Roſinus *in Vita.*

amicorum præſidio fuit inſtructus. (5) His igitur virtutibus inclyta cognomina Pii & Conſtantis (6) meruit: quæ non minora exiſtimaveris, quam quemlibet amplisſimum ab hoſtibus triumphum.

(5) *Parte II. lib. III. cap. LXXXI.*

(6) Thuanus, *Tomo II, lib. XXXVIII.* Hiſtoria Eccleſiaſtica Gothana *lib. II. cap. V. §. 1.*

VIII.

Anno tandem cIↃ IↃ XXXIV. electionem Ferdinandi Ungariæ & Bohemiæ Regis in Regem Romanum in Conventu Cadamico approbavit, & Ulricum Würtenbergiæ Ducem Carolo V. Cæſari reconciliavit. 1534.

Ab eo tempore, quo Ferdinandus Caroli V. frater in Regem Romanum electus, ſimultates inter Ipſum & Patrem Filiumque Saxones Electores perdurarunt, donec per tractatus Cadamicos (a Cadamo Bohemiæ oppido nomen habent) qualitercunque componerentur. Tunc enim primo JOHANNES FRIDERICUS Noſter, Ferdinando pro Romanorum Rege agnito titulum illum cœpit tribuere. Ac promiſit vicisſim Ferdinandus Rex, ſe daturum operam, ut dignitatis Electoralis, itemque aviti patrimonii inveſtitura, nec minus pactorum Juliacenſium confirmatio Carolus Imperator Johanni Friderico tribueret. Hoc ipſo in Conventu Cadamico ſimul quoque actum de reſtitutione Ulrici Ducis Würtenbergici, ob vexatam Reutlingam Imperii Germanici liberam urbem, a Svevici fœderis ſociis Ducatu pulſi, cujus terras demum a Carolo V. frater Ferdinandus acceperat, fruſtra pro eo hactenus deprecantibus aliis atque aliis Principibus donec Gallicana pecunia & Philippi Hasſiæ Landgravii armis adjutus, poſtliminio ſua recuperaret. Quibus ut tranquille in poſterum frueretur, Cæſareæ item gratiæ reſtitui anhelavit: in quo præcipuus ei in laudato conventu adjutor fuit, qui præſens aderat, ac Philippi quoque vices obibat, Elector Noſter. Ac is quidem in reconciliationis a Cæſare propoſitæ capita, ut ſcilicet Cæſar Würtenbergici Ducis titulum ſervaret, Ulricus autem

 Ferdi-

Ferdinandi qua Auſtriæ Ducis vaſallus foret, nomine Ulrici conſenſit. Quæ quidem ex Sleidano, Cruſio, Chytræo, Goldaſto, Hortledero & aliis ſummo cum ſtudio declarat magni nominis JCtus, Johannes Strauchius, ſingulari Diſſertatione *de ejectione & reſtitutione Ulrici Ducis Würtenbergici*. (1)

(1) Quæ eſt *in Diſſertationibus Juris Publici Exotericis decima.* Conferatur Jacobi Maſenii *Animæ Hiſtoriæ in juncto Carolo V. & Ferdinandi imperio repræſentata lib. V. cap. XIX. XX XXI.*

IX.

1535. Anno cIↃ IↃ XXXV. fœdus Smalcaldicum a Sereniſſimo Patre inchoatum renovavit.

Anno cIↃ IↃ XXXI die XXIX. Martii Johannes Saxoniæ Elector, cum quibusdam Germaniæ Principibus, Urbibusque ſingulare fœdus in annos ſex conſtituit: quod a Smalcaldica civitate, in qua primum convenerunt fœderati, Smalcaldicum appellari, magnumque exin nomen habere cœpit. Præcipue vero hoc ipſo cautum fœdere, ut ſi cui Sociorum forte vis a Pontificiis inferretur, atque adeo religionis ergo periclitari contingeret, a reliquis auxilia in tempore præſtarentur: id quod jurejurando fuit confirmatum. Religioſum hoc ac vere chriſtianum fœdus, ex quo per quinquennium viguiſſet, anno cIↃ IↃ XXXV, pridie Natalitiorum Chriſti Sereniſſimi Patris æmulus & ſucceſſor JOHANNES FRIDERICUS Noſter cum fœderatis in ſequens prorogans decennium, priſtinum affectum & mutuam concordiam confirmavit, ſimulque plures Confeſſionem Auguſtanam ore animoque ſincere profitentes ex communi decreto recepit. Utriusque fœderis & ſocios & acta potiſſima poſt Sleidanum (1) Chytræum (2) & Thuanum (3) prolixe recenſet ſæpe laudatus, ſed nunquam ſatis laudandus Hortlederus. (4)

(1) *lib. VII. & IX.* (2) *Saxoniæ lib. XIV.* (3) *Tomo I. Hiſtor. lib. I.* (4) *Parte I. lib. VIII. cap. VII. VIII. IX. X.*

X.

1537. Anno cIↃ IↃ XXXVII. Articulos Smalcaldicos elaborari, & Concilia Pontificia ex fœderatorum conſenſu fecit declinari. Cum

Cum Paulus III. Pontifex alibi atque alibi Concilium indiceret, Elector Noſter Smalcaldici fœderis ſocios cum primi nominis Theologis die XXV. Februarii, laudato ſuperioris ſeculi anno XXXVII. Smalcaldiam convocans, ſerio monere cœpit, agerent prudenter, rem eſſe magni momenti. (1) Igitur communi Societatis nomine controverſos doctrinæ Evangelicæ elaborari juſſus eſt articulos Theologus primarius D. Martinus Lutherus, ut, ſi concilium procederet, conſtaret liquido, quid & quatenus Pontificiis cedere liceat, & in quibus capitibus perſeverare conſtanter vellent Evangelici. Nati exinde doctrinæ Chriſtianæ articuli, vulgo a natali ſolo dicti Smalcaldici, quos fœderata Societas approbavit, magnaque excellentisſimorum Theologorum manus confirmavit: id quod ex ipſis articulis, & celebris librorum Eccleſiæ noſtræ Symbolicorum Exegetæ B. Johannis Benedicti Carpzovii commentatione uberius patet. (2) Cæſarei pariter Legati Matthiæ Heldi civilibus æque atque eccleſiaſticis propoſitionibus in laudato conventu reſponſum; & brevi poſt de repudiato Concilio Pontificio, tanquam minime libero, neque ſatis Chriſtiano, & ob has, aliasque cauſas, dubiæ fidei, ſcriptum publicum a fœderatis fuit editum. (3) De Noſtro quoque id ſingulariter eſt notandum, quod ad Lutherum ob corporis ægritudinem Smalcaldiæ decumbentem frequens inviſerit, de ejus vita & valetudine ſollicitus, uxori liberisque (ſi ad cœleſtia Lutherum vocaret Deus) proſpecturum promiſerit, conceptis aliquando verbis ſequentibus uſus: Euer Weib ſoll mein Weib/ und eure Kinder ſollen meine Kinder ſeyn. Cumque ingraveſceret morbus, carpento ſuo Wittebergam curavit devehendum. (4) Et

 ſic

(1) Sleidanus *lib. XI.* Spangenbergius *in Chronico Sax.* Chytræus *in Saxonia lib. XV.* Roſinus *in Vita J. F.* Spenerus *Syllog. Geneal. pag. 349.*

(2) *Iſagoges in libros Eccleſiarum Lutheranarum Symbolicos Parte III.* Eosdem articulos exhibet Lucas Oſiander, *Epitom. Hiſtor. Eccleſ. cent. XVI. lib. II. cap. XXXVII. pag. 253. ſeqq.*

(3) Sleidanus *lib. XI.* Hortlederus *Parte I. lib. I. cap. XLIII.*

(4) Videantur Opera B. Lutheri, *Tomo IX. Altenburgenſi, pag. 1574.* Roſinus *in Vita J. F.* ex Friderico Myconio Eccleſiæ Gothanæ Superintendente, quo familiarisſime utebatur Lutherus, oculato teſte refert.

ſic quidem Lutherus Theologis valedicens, cum jam reliquiſſet Smalcaldiam, retro proſpectans in hanc memorabilem erupit formulam: *Deus vos impleat odio Papæ ac Satanæ*. (5)

(5 Carpzovius, *Iſagog. part. III. ſect. III. membro II. pag. 906.* Videatur item D. Joh. Chriſtfried Sagittarii, *Hiſtoria Vitæ Lutheri* Altenburgenſi Operum Lutheri editioni juncta.

XI.

1539. Anno cIↄ Iↄ XXXIX. Burggraviatum Magdeburgicum Magdeburgenſibus oppignoratum numerata pecunia redemit.

Extincto Alberto III. Anhaltino, Sigismundi Cæſaris gratia ſuisque meritis Electorali dignitate & elogio ornatus inclytus Miſniæ Marchio, Thuringiæque Landgravius Fridericus Bellicoſus, idem ad ſucceſſores, & Noſtrum denique JOHANNEM FRIDERICUM transmiſit. Proprius huic dignitati fuerat Burggraviatus Magdeburgicus, ab Anhaltinis olim Senatui Populoque Magdeburgenſi oppignoratus, eoque hactenus in titulorum ſerie omiſſus. Antiqui hujus decoris cupidus Elector Noſter egit cum Magdeburgenſibus, ut pro numerata pecunia pignus redderent. Hi cum conditionem non aſpernarentur, ſolutis viginti duobus aureorum millibus, Burggraviatum eique conjuncta oppidum Gommern cum præfecturis Ranis, Elbenau & Gottan recipiens, ex eo tempore Burggravii Magdeburgenſis uti cœpit titulo atque inſignibus, quæ Electoribus Saxoniæ ad præſens usque manſerunt integra. (1)

(1) Chytræus, *Saxoniæ lib. XV.* Dreſſerus, *Iſagoges Hiſtoricæ Parte IV. fol. 436. 437.* Hortlederus, *Parte I. lib. IV. cap. IX. & lib. V. cap. XXIX.* Spenerus, *in Sylloge Geneal. pag. 349.*

XII.

1539. Eodem anno cIↄ Iↄ XXXIX, Henrico Duci Saxoniæ, agnato ſuo ad obtinendas Georgii fratris, hæreditate relictas provincias auxilio fuit, turbasque Eccleſiaſticas compoſuit.

Laudati anni die XXIV. Aprilis, Dux Saxoniæ Georgius, præmiſſo Friderico filio, moriens, Carolum V. Cæſarem, & fratrem

trem ejus Ferdinandum, niſi Henricus frater, Princeps orthodoxus, cum ſobole, rejecta, quam appellabat, religione novitia, antiquam reciperet, & ad Pontificiorum caſtra rediret hæredes ſcripſerat. (1) Itaque ut ampliſſimas regiones legitimus hæres Henricus obtineret, omni ſtudio anniſus Noſter eſt: cujus etiam operæ receptam hæreditatem inprimis debuit agnatus Princeps. (2) Inſuper eadem tempeſtate Libertinorum ſive Antinomorum auctorem Johannem Agricolam Islebium Lutheri induſtria in viam orthodoxam reduxit. (3)

(1) Sleidanus, *lib. XII.* Fabricius, *Orig. Saxon lib. VII.* Thuanus, *Tomo I. Hiſt. lib. 2.* Dreſſerus, *Iſagoge Hiſtorica Parte 4. fol. 453.*
(2) Sleidanus, *lib. 12.* Thuanus, *lib. 2. Tomo 1.* Spenerus, *Syllog. Geneal, pag. 349.* (3) Sleidanus, *lib. 12.*

XIII.

Anno cIɔ Iɔ XLII. Ipſi cum Mauritio Henrici Saxonis filio accerrimæ interceſſerunt lites ſine cæde tamen & ſanguine compoſitæ. 1542.

Diſſidii belliqne inter Electorem Noſtrum & Mauritium Saxoniæ Ducem origo, vulgo contentioni ex alea luſu nato adſcribitur. Ferunt enim Mauritium omni pecunia amiſſa, Electorem ad continuandum ludum, depoſito oppidulo fervidius ſollicitaſſe, hoc itidem amiſſo, ab Electore Noſtro increpitum, ut in poſterum modum ſervaret in ludendo; Mauritium autem reprehenſionis acerbitatem gravius juſto tuliſſe, ſtatimq; agnato ſuo bellum intuliſſe. Sed hujus cauſæ tot editis utrinque de hac diſſenſione ſcriptis nunquam facta mentio eſt. Per injuriam igitur, aut forte per incuriam ab auguſti nominis Hiſtorico Jacobo Auguſto Thuano prima fabulæ narratio tribuitur Sleidano. (1) Verum vindicavit Sleidanum optimus hiſtoriæ JOHANNIS FRIDERICI laudatiſſimusque conditor Fridericus Hortlederus, & potius Lamberto Hortenſio (2) ſcriptori Italo, ac Sleidano multo juniori eam deberi egregie docuit. (3) Exarſit autem hæc inteſtina contentio prope in bellum

(1) *Hiſtor. Tomo 1. lib. 2.* (2) *lib. 1. de bello Germanico* qui habetur apud Sim. Schardium, *Tomo 2. Rerum Germanicarum Scriptorum,* (3) *Parte 1. lib. V. cap. 13. pag. 1306.*

lum eruptura ob Wurzenam, epiſcopali dignitate celebrem Miſniæ civitatem, in qua ſibi & Elector Noſter, & Mauritius jus colligendi tributi in Turcicum bellum impendendi arrogabant. (4) Huc accedebat cauſa de Epiſcopatu Numburgenſi, nam ab exceſſu Philippi, Comitis Palatini ad Rhenum, Ducisque Bavariæ, qui & Epiſcopus Friſingenſis, & Numburgenſis hujus Epiſcopatus Adminiſtrator fuerat, in Mauritii gratiam, prætermiſſo Electoris conſenſu, Julio Pflugio, Viro equidem antiquæ nobilitatis, ac reconditæ doctrinæ, at Pontificiis partibus addicto Collegium Canonicorum Epiſcopalem dignitatem contulerat. Hinc repudiato Pflugio, Elector Noſter Nicolaum Ambsdorffium nobili genere Theologum Wittebergenſem, inaugurante Luthero ſubſtituit. (5) Atqui hinc illæ lacrymæ: ac confeſtim Mauritius ad arma proclamabat. Et hunc quidem multi mirabantur eo vehementiæ progreſſum, ut, cui tam ipſe, quam Henricus parens magnam fortunæ partem deberent, in eum tam funeſta cogitaret. Sed procul a culpa inclytus Heros Juvenis. Excitatus enim, & tantum non compulſus fuit a Conſiliariis, ex aula patrui Georgii in ſuam receptis, qui Electori ob religionem Evangelicam erant infenſiſſimi. Quod ſingulari epiſtola ad Mauritii Ordines perſcripta, proxime ante infauſtum cum Cæſare ad Albim prælium queſtus eſt ipſe JOHANNES FRIDERICUS. (6) Ceterum hoc ipſum quod inſtabat bellum vix tandem Philippi Magnanimi Haſſiæ Landgravii, (7) cujus filiam duxerat Mauritius, opera indefeſſa, & divina Megalandri Lutheri ad utrumque Principem & Status Provinciales ſcripta dehortatione, (8) paulo ante Paſchales ferias compoſitum, exin belli Placentarum (der Fladen-Krieg) nomen accepit (9)

XIV.

(4) Hortlederus *d. l.* [5] Sleidanus, *lib.* 14. Sermo B. Lutheri in hac inauguratione habitus exſtat *Tom.* 8. *Altenburg. fol.* 1. *ſeqq.*

(6) Sleidanus, *lib.* 18. Hortlederus, *Parte* 2. *lib.* 3. *cap.* 55.

(7) Idem Hortlederus, *loc. cit. pag.* 521.

(8) *Tom.* 8. *Altenburg. fol.* 42. *ſeqq.*

(9) Dreſſerus, *Iſagoges Hiſtoricæ Parte* 4. *fol.* 448.

Digitized by Google

XIV.

Eodem anno Henricum Ducem Brunſvicenſem ob fœderatas aliquot vexatas civitates ſociali bello debellavit.

Vix dum a proximo tumultu recepta quies: & ecce novæ oriuntur turbæ, prioribus longe perniciabiles. Henricus enim Dux Brunſwicenſis, Evangelico nomini, infeſtiſſimus hoſtis cauſas novorum motuum quærens, Goslariam & Brunſwicum fœderi Smalcaldico addictas civitates perpetuis excurſionibus atque rapinis miſere vexabat: non temperans ſibi a famoſis conviciis, turpibusque injuriis, maxime in Electorem Noſtrum: quem publico ſcripto hæreticum, ſeditioſum, Cainum, monſtrum, Æſopum, nulla nec corporis nec animi virtute præditum, quem ipſe quoque Lutherus, (licet ejus idolum ac velut alter Deus eſſet) rideret atque contemneret, non verecundabatur traducere. (1) Itaque cum diu multumque ſive feria, ſive tempori ſervientia edicta Cæſaris eluderet, & ſociorum auxilium implorarent fœderatæ civitates, tandem JOHANNES FRIDERICUS Elector cum Philippo Landgravio, ſepoſita ulteriori mora, armis aggreſſi fugant, provinciamque ejus omnem cum munitisſima arce Wolfenbüttelio occupant, & ad priſtinas artes converſum, ac Regis Galliæ auxilia circumſpicientem ad tantas redigunt anguſtias, ut ipſe cum Victore filio in Philippi Haſſi manus ſeſe tradere cogeretur. (2) Memorabilis eſt moneta quam Elector Noſter finito bello cudi curavit, in cujus altera facie habetur effigies Electoris cum hac inſcriptione: JOHAN. FRIDERIC. D. SAX. BVRG. MAD. SOLI. DEO. VICTORIA. In altera autem facie imago Philippi Landgravii cum ſequenti inſcriptione: PARCERE. SVBJECTIS ET DEBELLARE SVPERBOS. 42. PH. LANDG. (3)

Ipſius

(1) Sleidanus, *lib. 13.* & ex eo Oſiander, *Epiſt. Hiſt. Eccleſ. cent. 16. lib. 2. cap. 44.* Schardius, *d. l. de Bello contra Henricum Brunſvic. pag. 1513.* Eximia apologia extat in Opere Hortlederiano, *Parte 1. lib. 4. cap. 5. 9. & 12.*

(2) Sleidanus, *lib. 14. & 16.* Thuanus, *lib. 2. Hiſtoriarum Tomo 1.*

(3) Hortlederus, *Part. 1. lib. 4. cap. 42.*

Ipſius taleri delineationem ære expreſſam hoc loco repræſentamus.



XV.

1546. Anno cIↄ Iↄ XLVI. D. Lutherum Islebiæ in patria beate mortuum Wittebergam referri, atque ibidem in templo arcis cathedrali honorifice ſepeliri juſſit.

Omnia nata interire, neque quidquam mortalitatis legem effugere, ſuo etiam exemplo docuit ſummus Evangelicæ veritatis præco Lutherus. De hujus vitæ exitu & ſepultura pro inſtituto breviter. Islebiam Witteberga a Mansfeldicis Comitibus vocatus, & diſſidiorum arbiter electus, ſingulari inductus patriæ amore, (alias a curis rerum civilium ad ſe propius non ſpectantium alienus) licet valetudine uteretur minus commoda, eo profectus, primarium negotium cum fide & diligentia tractans, ſubinde in templo ad populum conciones habebat. Sed poſtquam gravius ægrotare cœpiſſet, lecto ſe dedit, & jam vitæ finem inſtare præſentiens, beatam analyſin intrepide expectavit, ac poſtquam animam iterum atque iterum ardentisſimis precibus Deo ſuo commendaſſet, die XVIII. Februarii, annos circiter LXIII. natus placide beateque obdormivit. Ut autem eum vivum multi complexi, ita nec a morte quidem ab amore ejus divelli potuerunt. Mansfeldici ſiquidem Comites ſanctæ animæ exuvias, in ſua, unde originem traxerant, terra ſepeliendas contendebant. Sed vicit JOHANNIS FRIDERICI Noſtri auctoritas, qui ut Wittebergam referren-

tur,

tur, atque ibi terræ honorifice mandarentur obtinuit. Delatum igitur eo exanime corpus, quinto poſt die in æde arcis cathedrali, funus comitantibus omnium ordinum viris matronisque, cum maxime ſolenni pompa in ſarcophago ſtanneo ſepultum eſt. (1) Juſta parentalia beatis Manibus exſolverunt Johannes Bugenhagius Pomeranus, Eccleſiæ Wittebergenſis Paſtor & Superintendens, & quo in vita utebatur intime, Philippus Melanchthon, qui iis temporibus principatum eloquentiæ facile tenebat. (2) Ad tumulum Elector Noſter effigiem æneam, Lutheri formam affabre referentem magnisque ſumtibus elaboratam ponere decreverat: quod bello Smalcaldico impedito non fuit integrum. Quamobrem demum a Sereniſſimi Patris obitu per Johannem Wilhelmum Ducem in templum hujus loci oppidanum tanquam ſingulare cimelium & Academiæ ac Civitatis ornamentum relata eſt. Inſcriptionem prototypo exaſſe reſpondentem præſenti commentatiunculæ inſerendam judicavi.

NOS DEI GRATIA GVILIELMVS, DVX SAXONIÆ, LANDGRAVIVS DVRINGIÆ, MARCHIO MISNIÆ, HANC LVTHERI EFFIGIEM, NON CVLTVS SED MEMORIÆ GRATIA, HVC POSVIMVS ANNO M D.LXXI.

PESTIS ERAM VIVVS, MORIENS TVA MORS ERO PAPA.

ANNO. M. D. XLVI. DIE XVIII. MENSIS FEBRVART REVERENDVS VIR MARTINVS LVTHERVS THEOLOGIÆ DOCTOR. CONSTANTER. ETIAM IN IPSO MORTIS ARTICVLO. TESTIFICANS VERAM ET NECESSARIAM ECCLESIÆ DOCTRINAM ESSE QVAM DOCVISSET ET ANIMAM SVAM DEO IN FIDE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI COMMENDANS. EX HAC MORTALI VITA EVOCATVS EST. ANNO ÆTATIS SVÆ LXIII. CVM ECCLESIAM DEI IN HOC OPPIDO ANNOS AMPLIVS TRIGINTA PIE ET FELICITER TEXVISSET. CORPVS VERO EIVS HIC SEPVLTVM EST † ESA LII. QVAM SPECIOSI PEDES EVANGELIZANTIVM PACEM.

HÆC ERAT EFFIGIES OPEROSE FACTA LVTHERO,
POSSET VT AD CINERES EIVS HABERE LOCVM.
PASSA FVERE TAMEN NON ILLVC TEMPORA PONI,
TVNC QVÆ CONCVSSIS ANXIA REBVS ERANT.
INCLYTVS HAC SAXO GVILIELMVS IN ÆDE LOCARI
IVSSIT, ET HVIC VRBI TALE DICAVIT OPVS.

D NON

(1) Sleidanus, *lib. 17.* Thuanus, *Tomo 1. Hiſtoriarum lib. 2.* Videantur porro Opera Lutheri *Tomo 9. Altenburgenſi, pag. 1580.*

(2) Eadem Opera *Tomo 8. pag. 847. ſeqq.*

Digitized by Google

NON VT VANA FIDES ALIQVO CELEBRETVR ABVSV,
SIGNA SED ADMONEANT HVIVS VT ISTA VIRI:
AVSPICE TEVTONICIS QVO FRAVS INNOTVIT ORIS,
QVA CHRISTI POPVLOS IMPIA ROMA PREMIT.
QVI TVLIT AVGVSTOS LATII SEPTEM VIR HONORES,
IMPERII, MAGNIS IAN FRIDERICVS AVIS:
ESSET VT HÆC SANCTÆ DOCTRINÆ STRENVA CVSTOS,
CONDIDIT AD SALÆ PVLCHRA FLVENTA SCHOLAM.
QVÆ TVMIDOS DOCTO CONFVNDERET ORE SOPHISTAS,
NEC SINERET FALSIS DOGMATA VERA PREMI
SED QVIA MOX ÆTAS MVNDI TRAHET ÆGRA RVINAM,
PVLLVLAT ERRORVM NVNC NVMEROSA SEGES.
CHRISTE, TVI NOBIS ERGO DECVS ASSERE VERBI,
VT SINT QVI VERA TE PIETATE COLANT.

H. OSIVS F. (3)

(3) Fuit hic Oſius, P. L. C. & in hac Salana Prof. Publ. Vid. M. Adriani Beieri, *Syllabus Profeſſorum Jenenſium*, *pag. 983. 984.*

XVI.

1546. Eodem anno cIↃ IↃ XLVI. bellum defenſivum, dictum vulgo Smalcaldicum, adverſus Carolum V. Cæſarem cum fœderatis paravit.

Hic habemus principium belli Smalcaldici, quod ætate breviſſimum, mole maximum, eventu fuit triſtiſſimum. Obſtat ejus magnitudo calamo, rerumque varietas aciem fere intentionis abrumpit. Cum tamen hoc ipſum præcipue inter illuſtria Electoris Noſtri geſta operæ pretium ſit cognoſcere, faciam quod ſolent qui terrarum ſitus pingunt: ſcilicet in brevi quaſi tabella totam ejus imaginem amplectar, nonnihil ad admirationem virtutum Magnanimi Principis JOHANNIS FRIDERICI me collaturum ſperans, ſi ex diverſis belli hujus famoſiſſimi Scriptoribus cognitione digniſſima excerpſero. Ad firmandum Auſtriacæ familiæ Imperium Germanicum proſperis fortunæ ſucceſſibus illectus, & ad Evangelici nominis internecionem a Paulo III. Pontifice Romano impulſus, de bello adverſus Smalcaldici fœderis ſocios, quorum potentiam ſuis obſtare videbat conatibus, cogitare cœpit Carolus V. Cæſar. Nondum enim penitus oblitus controverſiæ de Romano Rege ſibi & Ferdinando fratri a fœderatis factæ: ſuſpectabatque reſtitu

tio-

tionem Ulrici Würtenbergici, atque debellatum captumque Henricum Brunſvicenſem; facile reputans, majora auſuros, ſi occaſio daretur. (1) Trium vero præcipue rerum habuit curam. Primum ne ope deſtitueretur neceſſaria: deinde ut domeſticum hoſtem fœderatis excitaret: denique ne univerſa Principum Germaniæ ac fœderatorum uno impetu in ſeſe concitaret arma. Igitur auxiliare cum Pontifice ſanxit fœdus, in bellicos ſumtus ducenta aureorum millia, nec minus millia duodecim peditum, ac equites quingentos promittente. (2) Vocavit etiam Ratisbonam magni nominis Saxoniæ Ducem Mauritium, cui, ut ad ſe pertraheret, dignitatem Electoralem cum opima hæreditate JOHANNIS FRIDERICI agnati, quem cum complicibus rebellionis nomine proſcripturus eſſet, jam tum obtuliſſe dicitur. (3) Porro eundem fratremq; Auguſtum Imperatorio edicto monuit, ut rebellium provincias in ſuam redigant poteſtatem, ſi detrectent, geminam cum hoſte fortunam ſubituri. (4) Eoque ſive commoda ſperantem, ſive metu perculſum Mauritium in ſua traxit caſtra. Præterea ad Germaniæ Principes, urbesque primarias, Electores puta, Colonienſem & Palatinum, Würtenbergiæ Ducem, Senatum populumq; Argentoratenſem, Hamburgenſem, Lubecenſem, Francofurtenſem, Noribergenſem, Auguſtanum, Ulmenſem, Bremenſem, Nordlingenſem plenas humanitatis ſcripſit epiſtolas, quibus a concepta, quam putabat, quorundam Principum rebellione, partim a fœdere Smalcaldico abſtraheret, aut ſaltem neutri parti addictos redderet. (5) Interim unicam in bellum Germanicum intendens curam, ab omni apparatu bellico ad laudati anni CIↃ IↃ XLVI, menſem Junium ex fœdere Pontificio ſic ſatis erat inſtructus. Illuſtres exercitus Cæſarei Duces erant Ferdinandus Albanus, Jo. Baptiſta Caſtaldus, Johannes Jacobus a Medi-

1546.

D 2

(1) Hörtlederus, *Parte 2. lib. 3. cap. 24. pag. 412.* Joachimus Camerarius *in Vita Philippi Melanchthonis pag. 236.*

(2) Sleidanus, *lib. 17.* Thuanus, *lib. 2.* Maſenius, *lib. 7. cap. 5.*

(3) Thuanus, *Tom. 1. lib. 2.* Hortenſius, *de Bello Germanico lib. 2. apud* Schardium, *Tomo 2. pag. 1613.* (4) Sleidanus, *lib. 16.* Thuanus, *lib. 2.*

(5) Sleidanus, *lib. 17. & 18.* Thuanus, *lib. 2.* Maſenius, *lib. 7.*

1546. Medices, Reinhardus Comes Solmenſis, Maximilianus Auſtriacus, Emanuel Philibertus Sabaudus, Ericus, Philippus Henrici captivi filius, & Georgius, Brunſwicenſes, Georgius Meckelburgicus Duces, Alvarus Sandæus, Alphonſus Vives, Jacobus Arzius, Fridericus Fürſtenbergius, Octavius Farneſius, Alfonſus Dux Ferrariæ, Alexander Vitellius, Julius Urſinus, Alexius Laſcaris, Hieronymus Piſanus, Johannes Maria Paduanus, Nicolaus Plumbinus, Rudolphus Balioneus, Nicolaus Pertilianus, & complures alii, quorum nomina præfulgent apud Nicolaum Mameranum. (6) Hæc Smalcaldici fœderis ſocios diu celari non potuerunt. Et quia Cæſar cum Galliæ Regem pacem, & cum Turcico Imperatore paulo ante fecerat inducias, quicquid per famam increbuit, facilius credidere. Voluerunt autem a ſe & communi patria funeſta omnia prius precibus quam armis amoliri. Ea propter Philippus Landgravius, Ratisbonam profectus, rumores de bello Germanico impulſu Pontificis gerendo Carolo V. coram expoſuit, eique Spirenſium decretorum confirmationem ſumma modeſtia in mentem revocavit. At omnia disſimulans Cæſar, poſt alios aliosq; ſermones Landgravium cum prolixa benevolentiæ ſignificatione dimiſit. (7) Et hæc ſimulata Cæſaris clementia ſecuros fere reddidiſſet fœderatos. Cum vero in Germania & Italia rurſus legerentur milites, Hiſpanicæq; adducerentur copiæ, quid animi eſſet Cæſari, haut difficulter ſenſere. Supplicibus igitur (quibus nihil repoſitum) literis a Cæſare rogitaverunt pacem, & JOHANNES FRIDERICVS Elector ac Philippus Landgravius libellum apologeticum (8) haut multo poſt emiſerunt, nec minus exercitum celeriter cum ceteris conſcripſerunt ſociis, certi pro aris & focis fortiter dimicare, vimq; vi repellere. Quandoquidem igitur hoſtilem Cæſaris irruptionem augeret fama, peditum ſeptuaginta ac equitum quindecim millia in Sveviam & Bavariam eduxerunt. Inter Duces poſt JOHANNEM FRIDERICUM Electorem, & Philippum Landgravium, præcipui nominis

(6) *In Catalogo Ducum ac Chiliarcharum Caroli V.* apud Hortlederum *Parte 2. lib. 3. cap. 20.* (7) Sleidanus, *lib. 17.* (8) Quem paucis tangit Sleidanus, *lib. 17.* ſed totum exhibet Hortlederus, *Parte 2. lib. 3. cap. 11.*

minis erant Johannes Erneſtus Electoris frater, & filiorum maximus Johannes Fridericus, Philippus Dux Brunſwicenſis, cum Erneſto, Alberto, Johanne & Wolfgango filiis, Franciſcus Dux Lüneburgenſis, Wolfgangus Princeps Anhaltinus, Chriſtophorus Princeps Comes Hennebergicus, Georgius Dux Würtenbergiæ, Ulrici frater, Albertus Comes Mansfeldenſis, cum Johanne & Volrado filiis, Ludovicus Ottingenſis Comes, cum filio cognomine, Guilielmus Fürſtenbergicus, Chriſtophorus Oldenburgicus, Hubertus Beichlingius, Johannes Heideccius, Comites, Henricus Schombergius, Theodoricus Taube, Sebaſtianus Schertelius, Chriſtophorus Steinbergius, Wilhelmus Schachtius, Georgius Recrodus, Balthaſar Gürlingus, Sebaſtianus Beſſererus, Jodocus Roſenbergius, Johannes Harderus, Matthæus Langemantelus. (9) Tantæ expeditionis delato ad Cæſarem certo rumore, JOHANNEM FRIDERICUM cum Philippo Landgravio, publicis tabulis, tanquam rebellionis ac læſæ majeſtatis reos, ſine Electorum ſuffragio, die XX. Julii, anno cIɔ Iɔ XLVI. proſcripſit. Aucta inde belli juſtitia, jure ſibi viſi ſunt agere, nec peccare in leges, ſi Cæſari bellum denunciarent. Id majorum more ex caſtris ad Donawerdam per nobilem a Plato adoleſcentem tubicine comitatum (10) XI. die Auguſti fecerunt. (11) Et ſane ni Ducum æmulatio atque nimia cunctatio magnis conatibus obſtitiſſet, Cæſarem viribus inferiorem ſtatim Ratisbonæ, dein Landshuthi, ac poſtremo in caſtris ad Ingolſtadium affligere, & tantum non potuiſſent opprimere: id quod non diffitetur haut poſtremus Cæſareanorum Ducum, Ludovicus de Avila (12) jam aliquoties nobis laudatus, itemque Iohannes Godocus: (13) & omnes rei bellicæ periti ita poſtea cenſuerunt. Præſenti igitur occaſione amiſſa, cum commodo caſtrorum ad Nordlingam atque Donawerdam ſitu 1546.

D 3 defen-

(9) Sleidanus, *lib. 17.* Thuanus, *Tomo 1. lib. 2.* (10) Henricus Merckelius, *in Relatione Hiſtorica de Obſidione Magdeburgenſi*, apud Hortlederum *Parte 2. cap. 19. pag. 1233.* (11) Avila, *lib. 1.* Sleidanus, *lib. 17.* Hortenſius, *lib. 2.* Thuanus, *Tomo 1. lib. 2.* Natalis Comes *d. l. lib. 1.* Maſenius *d. l. lib. 3. pag. 97.* Epiſtolam denunciatoriam habet Hortlederus *Parte 2. lib. 3. cap. 24. pag. 411. ſqq.* (12) Avila *l. 1.* (13) *lib. 1. de Bello Smalcaldico* apud Hortlederum in calce *Partis 2.*

defenderentur, ancipitem prælii aleam experiri minime conſultum judicavere. Sic nulla fere re memorabili geſta, tempus conſumtum, niſi quod crebris excurſionibus & levibus velitationibus utrinque nonnunquam dimicaretur, & a fœderatis caſtra Cæſarea tormentorum impetu mire quaſſarentur. Et in Ingolſtadianis quidem caſtris mille, nongenti & quod excedit, inventi ſunt globi, quorum unus propter Cæſaris pedes decidens, quod alioquin inſolens, eo quo ceciderat veſtigio terra fuit obtectus.(14) Itaque tantus & ſua quaſi mole laborans exercitus, accedente Ducum diſſenſione, cum caſtra Cæſareanis caſtris diu habuiſſent oppoſita, juſto nullo commiſſo prælio in hyberna conceſſit.

(14) Avila *lib. 1.* Laurentius Surius, *in Commentario rerum in orbe geſtarum ab anno 1500. usque ad 1568. pag. 538.* Maſenius *in Anima Hiſtoriæ lib. 7. cap. 10. pag. 99.*

XVII.

1546. **Eodem anno cIↄ Iↄ XLVI. Mauritius Dux Saxoniæ edicto Cæſareo compulſus, & Ferdinandi Romanorum Regis adjutus armis, omnia fere Johannis Friderici Electoris, oppida ſuam in poteſtatem redegit.**

Quando cum Smalcaldici fœderis exercitu adverſus Carolum V. Cæſarem in Svevia & Bavaria moraretur JOHANNES FRIDERICUS Elector, eximia provinciarum ſuarum parte excidit. Nimirum Dux Saxoniæ Mauritius edicto Cæſareo (de quo proxime actum) morem gerens, cum Ferdinandi Romanorum Regis milite, octo pedeſtribus & quatuor equeſtribus legionibus ſe conjunxit, (1) atque infeſto hoc agmine Electorales ingreſſus regiones, oppida ac caſtra omnia, (ſi Iſenacum, Gotham atque Wittebergam exceperis,) quindecim dierum ſpatio occupavit: (2) fulminis inſtar, quod uno eodemq; momento advolat, percutit, diſparet. Hujus fortunæ fama, qua de per conjugem certior factus, Electorem graviter perculit: contra autem Carolum V. qui id a Mauritio acceperat, incredibili gaudio implevit. Quod quidem ut publice teſtaretur, tormen-

(1) Sleidanus, *lib. 18.* Thuanus, *Tomo 1. lib. 2.*
(2) Sleidanus, *lib. 18.*

tormenta omnia in caſtris diſplodi juſsit. (3) Ceterum ob id Mauritius impietatis atque animi ingrati notatus crimine, quin & famoſis libellis agitatus, ſcripto publico ſuam expoſuit innocentiam. (4)

(3) Sleidanus, *lib. 18.* Thuanus, *Tomo 1. lib. 2.* (4) Sleidanus, *lib. 18.*

XVIII.

Anno cIↄ Iↄ XLVII. Johannes Fridericus Elector amiſſa per abſentiam ſuam oppida præſens recuperat ſingula; & Mauritio vicem rependens, adjutorem ejus Albertum Marchionem Brandenburgicum capit. 1547.

Poſtquam de illata per Mauritium provinciis ſuis clade JOHANNI FRIDERICO Electori in fœderatorum caſtris conſtituit, ad hoſtiles impetus propulſandos cum exercitus parte ſibi properandum exiſtimavit. Itaque decem peditum, & quatuor legionibus equitum ſtipatus, confeſtim in ſuas reverſus provincias, non ſolum amiſſa oppida, idque inter adverſa hyemis, recuperavit: ſed etiam ſignis in Mauritio ſubjecta converſis, ipſum, Lipſia & Dreſda exceptis, omnibus ſuis non minori celeritate quam felicitate privavit: ut vix credas fortunam Electoris tam mature ſuccreviſſe, floruiſſe, concidiſſe, reſurrexiſſe. (1) Neque hic loci prætermittendum ſilentio, quod in Lipſienſi obſidione non ſine præſenti Numine fuerit ſervatus, cum excuſſa tormento ſphæra in patinam, ex qua cibum capiebat, decidua, plus horroris, quam damni excitaret. Locus in rei memoriam vel hodie Ubeleſſen audit. (2) Electori igitur potentiæ impar Mauritius, Cæſaris imploravit auxilium, qui Albertum Marchionem Brandenburgicum, egregium bello Principem, eximio cum exercitu, octodecim quippe peditum atque duobus equitum millibus auxilio ſubmiſit. (3) Sed is Rochlicii, quo ſe continebat oppido, ab Electore ex improviſo circumſeſſus, mœniis excedens fecit prælium, in quo cæde & fuga pleriſ-

(1) Sleidanus, *lib. 18.* Thuanus, *Tome 1. lib. 4.* De Lipſienſi obſidione quædam affert Camerarius *in Vita Melanchthonis pag.* 251. (2) Nondum hæc memini in publicis ſcriptis legere. Habeo tamen ex ore quorundam Lipſienſium. (3) Avila, *lib. 2*, Godojus, *lib. 1.* Faletus, *lib. 4.* Sleidanus, *lib. 18.* Thuanus *l. 4.*

Digitized by Google

pleriſque ſuorum amiſſis, ſibi quoque per fugam conſulturus, ab Erneſto Brunſwicenſi Duce interceptus, cuſtodiæ in arce Gothana fuit deputatus. (4) De præſenti Marchionis fortuna Hiſpanus arte ac Marte inclytus Ludovicus de Avila ita ſcribit: (5) *Reblizia, quam ab Alberto occupatam diximus, ſub illuſtris cujusdam fœminæ imperio erat. Ea Landgravii ſoror, marito amiſſo, manſerat in cœlibatu. Hujus illecebris & conviviorum frequentia inescatus Albertus, intra vinum & epulas (ut Germanis ſolenne eſt) choreis etiam aliisque id generis deliciis animum oblectabat. Quibus artibus illa fidem & amicitiam ſimulans, altiore ſecuritate hominis mentem ſopierat, quam ut virum Principem, & belli Ducem deceret.* Sed apud Carolum V. Cæſarem ab ipſo Alberto ea propter ſcripto publico Avila injuriarum fuit poſtulatus, (6) ac non ita pridem hujusmodi dicteriis doctam oppoſuit defenſionem Vir Clariſſimus Johannes Georgius Layriz, Hiſtoriæ Sacræ, & Civilis in Gymnaſio Baruthino Profeſſor Publicus, ſingulari Exercitatione Hiſtorica, quæ eſt *de Alberto Juniori Marchione Brandenburgico*. (7)

[4] Sleidanus, *lib. 18.* Camerarius, *in Vita Philippi pag.* 251. Thuanus, *Tom. 1. lib. 4.* Hortlederus, *Parte 2. lib. 3. cap. 55. & 56.* (5) Avila *lib. 2.* (6) Sleidanus, *lib. 24.* Thuanus, *Tomo 1. lib. 4. & 10.* ubi non procul a primordio hujus ſcripti ſummam attingit. Integrum exhibet Hortlederus, *Parte 2. lib. 5. cap. 5. p. 1299. ſeqq.* (7) *Habita Baruthi, anno 1674.*

XIX.

1547. Eodem anno cIↃ IↃ XLVII. die XXIV. Aprilis, Johannes Fridericus Elector cum Carolo V. Cæſare Mülbergæ ad Albim commiſit prælium, in quo fortiter dimicans a ſuis deſertus, victus, captusque fuit.

Audita Alberti Marchionis clade atque captivitate, Carolo V. Cæſari penitus decretum fuit nimiam JOHANNIS FRIDERICI Electoris potentiam a Saxoniæ Duce Mauritio ejusque terris avertere, & ſi fors faveret, bello Smalcaldico extremam manum imponere. Igitur Mauritianis in ſubſidium adſcitis copiis, primo vere ſubito excurrens magis quam ducens in Electorales provincias exercitum, & inimicis oppidis vel per vim, vel deditione brevi occupatis, ocyus in Electorem hoſtem movit, absque mora, ſi aſſequi daretur, cum eo congreſſurus. (1) Ea tem-

(1) Avila *lib. 2.* Godojus *lib. 2.*

peſtate

peſtate JOHANNES FRIDERICUS Elector Miſenæ illuſtri ad Albim Mauritio nuper ademta civitate confidebat, cum de repentino Cæſaris adventu allatum eſſet nuncium. Hinc Wittebergam, munitisſimam Electoralis terræ metropolin cum exercitu ſe recipere conſtituit, ſociorum auxilia, quibus par viribus foret Cæſari, præſtolaturus. Itaq; Miſena relicta, transmiſſo Albim exercitu, ne inſequenti iter pateret hoſti, ponte incenſo, Mülbergam tendit. Progreſſus paul ſper inhibuit curſum, quæ legenda eſſet via, cum Primoribus conſultans. Erant qui Mülbergæ ſtationem cum exercitu habendam monerent: quod locus ſervando fluvii vado eſſet commodus, caſtello quippe & altiori ripæ aggere munitus, unde hoſtis tranſitu facile poſſet arceri. At plures alii periculoſam rati moram, deſerendum judicabant oppidum. Sed major Electori fuit animus, quam ut hæc ſequeretur judicia. Illorum enim nimium audax; horum infra dignitatem ſuam exiſtimans conſilia, ne aut magnis excideret auſis, aut ignobili fuga ſibi cogeretur proſpicere, mediam ingreſſus eſt viam. Diſpoſitis ergo Mülbergæ ad Albis ripam præſidiariis, qui levibus tormentis navalem defenderent pontem, ſiq; prævaleret hoſtis, ſolverent, Wittebergam deducturi: ipſe cum exercitu progreſſus, commodum deligebat locum, quo, ſi dimicandum forte in itinere foret, non multum paucitati ſuæ hoſtium numerus obeſſet. (2) Cæſar interim cum Electorem Albim tranſiturum, ac Wittebergam ſe recepturum intellexiſſet, ut præverteret inſtitutum, velocitate opus credidit. Ac priſtinæ felicitatis fiducia fretus, quantumvis Duce de Alba ſupremo copiarum ductore, reliquiſque a Conſilio bellico id diſſuadentibus, præmiſſo, qui ab accolis fluvii indolem & tranſitum exploraret, Albano, Electorem inſequi, & cum eo confligere ſtatuit; animo in utramque fortunam, ſive victor foret, ſive nullus, plane obfirmato. Poſtquam ad ripam Albis ventum, aliqui Hiſpanorum peditum, ut hoſtibus navalem eriperent pontem, nihil cunctati, ore gladios, eoque incredibilem pugnandi ardorem præferentes, invium rapidumque ingrediebantur fluvium: & licet a turbine globorum per præſidiarios Electorales 1547.

 ex

(2) Sleidanus, *lib. 19.* Thuanus, *lib. 4.*

Digitized by Google

1547. ex adverſa ripa in ipſos ſparſo agitarentur, tamen ut cœpta deſererent, permoveri non potuere; quin feliciter transnatantes, ponte reciſo raptoque, in tutum emerſerunt. Et hi quidem ſinguli finito prælio, pro tanta virtute præter togam holoſericam triginta coronatis a victore Carolo fuere donati. (3) Dumq; in eo erant, ut reſtaurarent pontem, quæ noſcenda percunctatus, ſupervenit callidus explorator Albanus, quem ſequebatur juvenis molitor agreſtis, cui Strauchii nomen fuiſſe memorant. (4) Is fluvialis genii pergnarus, ac ob id lingua vernacula, der Wegweiſer und Gleitsmann/ vulgo a ſuis dictus, ob raptos ab Electorali milite equos bijuges vindicta æſtuans, vado ſponte commonſtrato, viæ ducem egit. (5) Quæ in tempore ſuperveniens proditio Cæſari in fortunam vertit; cum alioquin haut potuiſſet eo die integer transmitti exercitus; ac interea Electori ſpatium ſuppeditaſſet Wittebergam incolumem cum omnibus copiis ſecedendi, ac caſibus profutura comminiſcendi. Igitur alacer gaudio Cæſar ad tranſeundum ſe comparans, Hiſpanico vectus equo, auro radiante lorica, quam faſcia punicei coloris ambiebat, galea item Germanica tectus, manuq; brevem haſtam geſtans, (6) ac ſpeciem magni Julii referens, qui, tranſmiſſo olim Rubicone fluvio, in ſola victoria fiduciam ponebat, (7) cum quatuor millibus equitum expedita manu, monſtratum fluvii vadum ingreſſus eſt. Tranſeuntem dixiſſe ferunt: OMNIS JACTA SIT ALEA! (8) Superato feliciter flumine, proditorem aureis coronatis centum ac duobus equis donatum dimiſit, (9) atque omni peditatu & tormentis majoribus relictis, quantum feſtinare poterat, ad hoſtem flectit iter, vel iniquiori loco pugnaturus, prius aut in munitum oppidum quam ille ſe reciperet, aut viribus invaleſceret. Erat dies Domino feſtus, ab Eccleſia *Miſericordias Domini* dictus, quo Cæſar ad Albim venit, paulo poſt diei exordium. (10) Eo tempore

(3) Avila *lib.* 2. Godojus *lib.* 2. Hieronymus Faletus *lib.* 5. *de initiis & progreſſu Belli Germanici* apud Hortlederum *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 82. (4) Natalis Comes *Hiſtoriarum lib.* 2. Merckelius *de Obſidione Magdeburgenſi* apud Hortlederum *Parte* 2. *lib.* 4. *cap.* 19 *pag.* 1236. (5) Avila *lib.* 2. Faletus *lib.* 5. Thuanus *lib.* 4. (6) Avila *lib.* 2. Surius *pag.* 551. Thuanus *lib.* 4. (7) Vellejus Paterculus *lib.* 2. *cap.* 49 Svetonius *in vita Cæſaris cap.* 31. *ſeq* Plutarchus *in vita Pompeji.* (8) Avila *lib.* 2. (9) Avila *d. l.* (10) Sleidanus *lib.* 19. Mameranus, apud Hortlederum *Part.* 2. *p.* 233.

pore cultui divino operabatur Elector, Chriſtophori Hoffmanni 1547.
ſacri caſtrenſis Oratoris eloquentiſſimi intentus ſermoni ſolenni: cum interim Cæſarem fluvium tranſiiſſe rumor advolaret, qua erat pietate, animique tranquillitate, prius quam finita oratio, concione noluit excedere: (11) ac tum denique, ſumto raptim cibo, adverſario pugnandi poteſtatem facturus, cum iis quos ſecum habebat (miſerat enim Thumshirnium cum parte exercitus in Bohemiam, & Comitem Mansfeldium in inferiorem Saxoniam) (12) peditum ſcilicet ſex, equitum tribus millibus ad reſiſtendum ſe paravit, copias triplici diſponens ordine; ſic, ut fronte contractiori, & lateribus porrectioribus, omni peditatu in duo diviſo agmina, ad lævam & dextram ſtaret equitatus; in tertio ipſe conſpicuus, & animo fiduciaque excelſus, ſolenne Symbolum: *Verbum Domini manet in æternum*! in teſſeræ vicem deſignans, ad fortiter pro Deo & patria pupnandum ſuos excitabat. (13) Jamque hoſtium fremitus appropinquantium exaudiebatur, reſolutaq; pulveris nube, in conſpectum veniebat Cæſar. Exercitus ejus in duplicem diſtributus erat aciem, ut frons porrectior latera eſſent anguſtiora. Ipſe propius ad hoſtem veniens, milites ad fortitudinem adhortatus eſt, datoq; ſymbolo D. Georgio Imperii, D. Jacobo Hiſpaniæ, quos faciunt, Patronis, circa meridiem atrox auſpicatus eſt prælium, & effuſis equitibus, ſubito in Electorales copias fecit impetum. (14) Illi acrius quam conſtantius ſub exordium pugnæ agentes, cum, diſploſis ſemel ſclopetis, ad iterum implenda non daretur ſpatium, ab undiq; in ordines ſuos turbinis in modum confertim irruentibus hoſtibus haut difficulter omnes diſſipati, fuſi, fugatique. Et quis tot ludibria fortunæ, Ducum, agminumque cædem multiplicem, devictorum fugam, clades nunc ſingulorum, nunc univerſorum, aut animo aſſequi queat, aut oratione complecti? Alii qua breviſſimum patebat iter, alii diverſos ſaltus, & ignotos ſequentibus calles petebant. Eques pedesq; confuſi, ſine Duce, armatis inermes, integris debiles

(11) Avila *lib. 2.* Faletus *lib. 5.* Hortlederus *Parte 2. lib. 2. cap. 31. lib. 3. cap. 89.*
(12) Sleidanus *lib. 19.* Thuanus *lib. 4.*
(13) Avila *lib. 2.* Godojus *lib. 2.* ubi Electorem *buon Duca* laudat. Faletus *lib. 5.* Thuanus *lib. 4.*
(14) Avila *lib. 2.* Sleidanus *lib. 19.* Thuanus *lib. 4.*

1547. biles implicabantur. (15) Cæſis per hoſtium rabiem mille & quingentis, (16) in plures fuiſſet ſævitum, niſi Cæſar, parce ferro, edixiſſet militi ſuo. A meridie ad veſperam usque horis novem continuis pugnatum eſt. (17) Quadringenti circiter cum Johanne Friderico Juniore in caput vulnerato, at vulnere cæde percuſſoris penſato, (18) Beuchlingio Comite & Recrodo ſe fuga eripientes, ſalvi Wittebergam evaſere. (19) Captorum in hoſtium manus pervenere ſexcenti (20) quos inter fuerunt Erneſtus Dux Brunſvvicenſis ac Luneburgenſis, Carolus, Wolfgangus & Sigismundus, Comites a Gleichen, juvenis Comes a Beuchling, Henricus Ruthenus a Plauen, juvenis eques Auſtriacus a Polhaim, Juſtus ab Hoym, quondam Cancellarius, Georgius Goldacker, venationum magiſter, Vitus a Pappenheim, Philippus a Witzleben, Franciſcus Röbel, Achatius ab Oberniz, Henricus a Bünau, Mauritius Vitzthum, Wolfgangus ab Heilingen, Chriſtophorus & Johannes a Taubenheim, Levinus ab Ende, aliique. (21) Ipſe JOHANNES FRIDERICUS Elector, qui non minus fortiſſimi militis, quam optimi Imperatoris, fecerat officium. (22) cedentibus ceteris, cum paucis ſtrenue pugnans, ab undique & undiq; magna hoſtium caterva ſubito in ſeſe irruente circumventus, & a Joſepho Lucano Quinqueccleſienſi Ungaro, ut teſtis eſt Iſthuamfius (23) mala ſiniſtra graviter mucrone perſtrictus, & ab

(15) Avila *lib.* 2. Godojus *lib.* 2. Faletus *lib.* 5. Thuanus *lib.* 4. (16) Thuanus *lib.* 4. Verum Avila *lib.* 2. duo millia & quingentos; Godojus *lib.* 2. quinque millia; Faletus, *lib.* 5. mille & ſeptingentos, ponunt. (17) Avila *lib.* 2. Sleidanus *lib* 19. (18) Avila *lib.* 2. Faletus *lib.* V. (19) Faletus *lib.* 5. Sleidanus *lib.* 19. Thuanus *lib.* 4. [20] Thuanus *lib.* 4. Avila *lib.* 2. octingentos, Godojus *lib.* 2. mille numerant. (21) Faletus *lib.* 5. Sleidanus *lib.* 19. Thuanus *lib.* 4. Spangenbergius *Chronici Saxonici, cap.* 382. Hortlederus *Parte* 2. *lib.* 3. *cap* 70. *pag.* 577. 578. (22) Godojus *lib.* 2. Faletus *lib.* 6. Sleidanus *lib.* 19. Thuanus *lib.* 4. (23) *lib.* 13. *Hiſtoriæ Ungaricæ*, & ex eo Martinus Zeilerus *Epiſtola* 13. *Centuriæ* 5. Ceterum multum hic variant Scriptores. Apud Avilam *lib.* 2. Faletum *lib* 5. Hortenſium *lib.* 7. Hiſpani, Ungari & Itali hanc gloriam ſibi vendicant. Natalis Comes *lib* 2. Hippolyto Portio; Fabricius *Rerum Miſn. lib.* 1. Cruſius *Annal. Svev. Decade* 3. *lib.* 11. Funccius *in deſcriptione hujus prælii, quam Commentariis Chronologicis* addidit, Spangenbergius *in Chronico*, Cluverius *in Hiſtoria Univerſali*, Tiloni Troto, Nobili Miſnico adſcribunt; cui ſe Elector captivum dederit, & ne exteri de eo gloriari poſſent, binos exemtos digito annullos in teſtimonium tradiderit, idque (ut apud Hortlederum *Part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 6.

Ban-

& ab aliquo ex ſuis captivo proditus, atq; ex corporis majeſtate agnitus, (24) (enim vero & corpore ac forma imperatoria a natura donatus, ut ipſo aſpectu cuivis injiceret admirationem ſui:) 1547.
(25) cum nemo ſuccurreret, ipſeq; hoſtes undiq; inſtantes ſolus ſubmovere non poſſet, a dicto Luccano etiam captus eſt; qui auro argentoq; præfulgentem ejus enſem in virtutis ac fortunæ teſtimonium rapuit: ipſe vero Elector ab affluentibus Hiſpanis ei ereptus eſt; (26) quem ab Hippolyto Comite de Porto recepit Albanus, & equo Friſio inſidentem, thorace nigricante lineis diſtincto argenteis, & lorica annulata indutum, ex vulnere in pugna accepto undante per faciem ſanguine, ad Carolum V. Cæſarem deduxit. (27) Abeuntem allevatis in cœlum oculis dixiſſe legimus: *Miſerere mei, Domine, nos ſumus jam hic!* (28) Ad Victorem appropinquans dextram exuit chirothecam, ex equo deſcendere anniſus. Quem cum Cæſar languentem coram vidit, in equo manere juſſit. Tunc Elector: *Potentiſſime ac clementiſſime Cæſar, Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ ſum captivus.* Dicturum plura interfatus Cæſar: *Nunc iſta me voce appellas, antea non ita ſolitus?* Cumq; Elector rurſus inſtaret, haut ſane trepidus petens, ut cuſtodiam pro dignitate Principis ſibi concederet, reſpondit ille: *Ego te pro meritis tractabo.* His Elector tecto capite: *In poteſtate veſtra ſum, agite mecum ut placet.* (29) At Ferdinandus Cæſaris frater terribili vultu intuens acrius ipſum increpuit, exprobrando

 obje-

Baumannus, miles ad Senatum Roteburgenſem ad Tuberam perſcripſit) Electorem poſtea, exorta hac de re inter nationes contentione, publice confeſſum fuiſſe volunt: quæ res ceteros ſedaverit. (24) Faletus *lib. 5.* (25) De eximia vaſti corporis ejus ſpecie Johannes Baptiſta Adrianus Nobilis Florentinus, de rebus geſtis Caroli V. apud Zeilerum, *d. l. Epiſtola 96.* ita: *Giovan Federigo Elettore di Saſſonia, era di ſmiſurata grandezza & groſſezza tale, che non haveva in tutta la Germania pari.* Unde ab adverſariis *Craſſus* dictus fuit. Vid. Fabricius, *Rerum Miſnicarum lib. I.* Spenerus *in Syllog. Gen. pag. 356.* (26) Iſthuamfius & Zeilerus *locis laudatis. Inſuper de inuſitatà magnitudinis ocrea Electori poſt pugnam detracta gloriati ſunt Hiſpani*, ut ex Carolo Lotharingo, qui res illius anni in Commentarios redegit, *Tomo 1. libro 3.* refert Thuanus. (27) Avila *lib. 2.* Godojus *lib. 2.* Faletus *lib. 5.* Sleidanus *lib. 19.* Thuanus *lib. 4.* (28) Funccius *d. l.* Cruſius *Annal. Svev. Dec. 3. lib. 11.* ex Bucholzero, Baumannus apud Hortlederum *Part. 2. lib. 3. cap. 69.* (29) Avila *lib. 2.* Godojus *lib. 2.* Faletus *lib. 3.* Sleidanus *lib. 19.* Funccius *d. l.* Surius *d. l. pag. 552.* Thuanus *lib. 4.* Baumannus *d. l.* Maſenius *lib. 7. cap. 21. pag. 104.*

Digitized by Google

1547. objectans, quod ſe ſuosque omni poteſtate voluiſſet exuere. (30) Ad quæ Elector, forte ne iras Principis acueret, tacuit: ſimulq; Alphonſo Vivi Hiſpanicæ legionis tribuno, qui demta galea pileum ſuffecit, in liberam cuſtodiam fuit datus. Et hic imperatum diligenter curans, Electorem cum Erneſto Duce, in caſtra ad Albim relatum, ac ſiti fractum reficiens, honeſtum ejus vulnus limpida elutum aqua, fecit obligari. (31) Ita magno certamine defunctus Carolus V. Cæſar, inhibitis ſuorum excurſionibus, datoq; receptui ſigno, illud poſt victoriam Ponticam Caji Julii Cæſaris apophthegma VENI. VIDI. VICI. (32) modeſte ſic inflexit: VENI. VIDI. AT. DEVS. VICIT. (33) Et ſane ita voluiſſe Deum, ut potior ſuccumberet cauſa, eventus rerum omnium certus magiſter docuit: alioquin ſi tantum animi reliquis fuiſſet militibus, quanti ſupremo Duci JOHANNI FRIDERICO, ac ſinguli ſuum feciſſent officium, vix futurum fuiſſe, ut eo ille die ſuperaretur atq; caperetur, vel ipſe Ferdinandus Cæſaris frater teſtatus eſt. (34) Adde quod præter illam molitoris nequitiam etiam aliam proditionem intercesſiſſe paucis tetigerimus: qua de etiam Electorem aliquoties queſtum accepimus.

(30) Sleidanus *lib. 19.* Merckelius *d. l. pag. 1237.* (31) Avila *lib. 2.* Godojus *lib. 2.* Faletus *lib. 5.* Sleidanus *lib. 19.* Thuanus *lib. 4.* (32) Suetonius *in Vita Cæſaris cap. 37.* (33) Avila *lib. 2* Godojus *lib. 2.* Surius *pag. 553.* Maſenius *lib. 7 c. 13.* (34) Joachimus Camerarius *de bello Smalcaldico* apud Marquardum Freherum, *Tomo 3. Germanicarum Rerum Scriptorum, pag 423.* Idem *in Vita Melanchthonis pag. 252.* Merckelius *d. l. pag 1237.*

XX.

Infauſtum Electoris prælium plurima præceſſerunt ac comitata ſunt prodigia.

Hæc niſi annaliũ fide niterentur, hodie fabulis viderentur propiora. Præfectum Bornenſem (vetus id Miſniæ oppidum) a. 1512. prædixiſſe annotatum eſt: *Affore aliquando tempus, quo Saxoniæ Elector mulctetur provinciis, quas tamen ejus poſteri ſint recuperaturi.* (1) Et memorant Johannem Electorem JOHANNI FRIDERICO filio, forte ad hæc reſpicientem aliquando dixiſſe: *Prædictionem circumferri de Principe quondam ex Saxoniæ Ducibus, qui per proditionem tradendus ſit in manus hoſtium, terrisq; ſubjectus ſpoliandus: quid ſi ad Te forte per-*

[1] Roſinus *in Vita J. F.*

tineret? (2) Excepta quoq; Megalandri Lutheri vox ad familiares non diu poſt Johannis Electoris obitum: *Provinciis noſtris caldarium parabitur, in quo ita exercebitur Elector, ut in eo refrigerando quivis ſubditorum elaboraturi ſint.* Germanica ita habent: Man werde dem Land ein Schweißbad zurichten/ und den Churfürſten aufs Pflaſter legen/ daß Land und Leut werden an Ihm zu fühlen haben. Idem paulo ante exceſſum ſuum JOHANNI FRIDERICO imaginem obtulit, quæ repræſentabat Eccleſiam in navicula a ventorum rabie jactatam, ut timor eſſet, ne vicinæ petræ illideretur. Haut procul in undis Elector enſe cinctus Chriſtum portabat humeris, & ut ad ſuſtinendum nihil ſuperaret virium, dextra arboris truncum, quem fortuna providerat, complexus, ſe allevare conabatur; cumq; ex improviſo Lutherum manu altera facem, altera librum præferentem in adverſo littore videret ſtantem, vultu animoq; in eum converſo, vacillantibus licet paſſibus ad eundem emergere tentabat. Tantæ optimi Lutheri pietatis fortunæq; ſuæ, quam ominabatur, recordatus, quoties laudatam aſpexerit imaginem, toties Sereniſſimum Electorem illacrymaſſe ferunt. (3) Tale quid jam diu ante præſagiverat Fridericus III. Saxoniæ Elector, qui ſimul ac cum fratre Johanne aliquando e cymba apud Wittebergam exiverat, illam ſtatim ruptam confractamq; vidit; quod in omen Saxonicæ Domus bello diſtrahendæ accepit, dicens: *Profecto metuo poſt nos noſtræ navis, id eſt, Domus Saxonicæ dilacerationem* (4) Quindecim ante fatale ad Albim prælium diebus Wittebergæ communis Germaniæ Præceptor Melanchthon per ſomnium ſibi viſus eſt in ſcriptore Græco ſequentia legere: Τιμόθεον ναυμαχοῦντα ἁλῶναι, *Timotheum (pium & amantem Dei virum) navali prælio certantem capi.* (5) Fuit eo quo præliatum die, & ante illum pene tribus, ſolis tetra facies, impediente lumen & eminentiam radiorum denſo rubore, qui & in tectis ædificiorum & parietibus cum omnium intuentium ſtupore quodam relucebat: id quod non modo in Germania, ſed Gallia etiam Britanniaq; conſpectum: ceu diſerte aſſerunt, qui eo tempore

(2) Roſinus *l. 1.* (3) Roſinus *d. l.* (4) Schurzfleiſchius ex Melanchthone & Peucero in *Notis ad* Michaelis Bohemi *Vitam Alberti Animoſi.* (5) Johannes VVolfius, *Tomo 2, Lectionum Memorabilium, pag. 304.*

pore vixerunt; Avila, (6) Godojus, (7) Mameranus, (8) Sleidanus, (9) Faletus, (10) Cruſius, (11) Fabricius. (12) Contra obſervatum eodem die aquilam ſuper exercitum Cæſareum paſſim volitaſſe. Ac porro milites Cæſareani lupum ex ſylva forte proripientem gladiis confecerunt. (13) Cum Miſenæ poſtridie prælii hora ſeptima matutina ob captum Electorem a Canonicis (quos vocant) Deo actæ eſſent gratiæ, hora V. pomeridiana baſilicæ turres tres, tectum, campanæ, organumq; muſicum repentino fulminis ictu (quodq; mirandum inprimis, nullo alio vel antegreſſo vel ſecuto) incenſa, proſtrata ac diruta. (14) Auguſtani proceres Pontificii, ubi de Electoris captivitate audivere, in lætitiæ ſignum tormenta bellica diſploſere. Et ecce bona pars valli & ædificiorum repente corruit. (15) Hoxariæ inferioris Saxoniæ oppido Conſul agebat, Balthaſar Maſco. Is, ut erat Evangelicis infenſisſimus, cum Electoris clades atq; captivitas ſubito percrebuiſſet, iis ſuperbe inſultans: dixit: *Hem! ubi nunc eſt veſtrum Evangelium? ubi nunc eſt veſtra Sacramenta? Nonne ex hac Cæſaris victoria manifeſtum fit, quæ & ubi vera ſit Eccleſia atq; religio?* Sed impii hominis linguæ intemperantiam ſubitanea morte divina Nemeſis repente ulta eſt. (16) Johannes Agricola Islebius etiam immodica verborum licentia ob adverſam Electoris fortunam pro concione publice exultans, Cæſaris per Albim cum Iſraëlitarum per mare rubrum tranſitu comparare, atq; ad agendas DEO gratias populum commovere non erubuit. Heri impietatem inſecutus famulus, non multo poſt gravi correptus morbo, omnibus Electoris hoſtibus, ipſiq; Agricolæ gravisſimam Dei iram nunciavit; & ex eo cum gemitu finivit vitam. (17)

(6) *lib. 2.* (7) *lib. 2.* (8) In Diario Belli Germanici apud Hortlederum, *Part. 2. lib. 3. cap. 8. pag. 233.* (9) *lib. 19.* (10) *lib. 5.* (11) *Annalium Sveb. Dec. 3. lib. 11.* (12) *Rerum Miſnicarum lib. 1.* Videatur item Camerarius, *in vita Philippi.* (13) Avila *lib. 2.* Faletus *lib. 5.* Thuanus *lib 4.* Maſenius *lib. 7. c. 22.* (14) Fabricius *in Annalibus Urbis Miſenæ, pag.* 87. VVolfius *in opere laudato pag. 516.* (15) VVolfius *ibidem pag. 515.* (16) VVolfius *ibidem* ex Spangenbergio *pag. 514.* Roſinus *d. l.* (17) VVolfius *ibidem* ex Spangenbergio, *pag. 515.* Roſinus *d. l.*

XXI.

1547. In caſtris ad Wittebergam poſtquam capitis ſententia Electori denunciata, eandem ore animoq; accepit imperterrito:

rito: cumq; precibus Magnatum motus Cæſar mutaret ſententiam, quando alia omnia, ac ipſam Electoratus miſſionem concederet, ad mutandam religionem Johannes Fridericus induci non potuit. 1547.

Igitur magno certamine defunctus, & memorabili victoria lætus Carolus V. Cæſar, in tempore eandem proſecuturus, de obſidenda Witteberga habuit conſilia. Hinc Torga cum magnificentisſima, quam ibidem Elector condiderat arce, quaque animi gratia ad venationes præcipua utebatur, (1) deditione in fidem acceptis, validæ urbi exercitum admovit, præmiſſo caduceatore, qui, niſi dederetur Witteberga, Electorem extrema paſſurum minitaretur. Cumq; oppidani Cæſaris minas inſuper habentes animoſe reſponderent: *Eodem modo habitum iri Albertum Marchionem Brandenburgicum, quo JOHANNES FRIDERICUS a Cæſare:* (2) hoc reſponſo vehementer offenſus eſt. Et ſpeciem perſeverantis in obſidione oſtenſurus, præſidia Dreſdæ, Lipſiæ atq; Cygneæ a Mauritio Duce impoſita cum ſedecim tormentis majoribus ex armamentario Dreſdenſi adduci juſsit. (3) Deinde talem intendit rationem, qua charisſima Electoris pignora, conjugem, liberos, fratrem ad dedendam urbem adigeret. Decimus (4) nimirum erat menſis Maji dies, quo Carolus V. Imperator JOHANNEM FRIDERICUM Electorem, rebellionis ac læſæ majeſtatis, ut cauſabatur, reum, capitis in caſtris damnabat. Sedebat Elector cum Brunſvvico-Luneburgenſi Duce Erneſto, mutuæ calamitatis ſocio in tentorio, quando ſententia Cæſaris decretoria in ſanctum ejus caput per delegatum ſignificaretur. Auſcultabat interritus, nec aliqua pavoris nota in ipſius ore deprehendebatur. Tum hominem qui attulerat, ſereno conſtantiq; vultu intuens. *Quid tum*, dicebat, *ſi Witteberga non tradita memori oporteat? Hac hactenus, non vita mea petitur. Sed nihil iſta me terrent: utinam nec conjugem, nec liberos, nec amicos. Mors mea neq; Cæſari ſaluti, neq; Wittebergæ erit damno. Non omnis moriar, multaq; pars mei manebit urbi. Habebit filios mihi ſimillimos. Quod ad me, quorſum acceſſionem paucorum.*

F

(1) Fabricius, *Rerum Miſnicarum lib. 1.* Thuanus *lib. 4.* (2) Thuanus *lib. 4* (3) Avila *lib. 2.* Thuanus *lib. 4.* (4) *Ita* Faletus *lib. 6* Sleidanus *lib. 19. ſeptimum*: Thuanus lib. 4. ponit *IIII. Idus Maji*, qui fuiſſet *duodecimus.*

1547. *eorum dierum homini non diu victuro? Si optio detur, malim re liberis ſalva, quam primum mori, quam diu illis ademtis vivere. Neq; tamen prohibeo, ut pietati aliquid dent, & ſibi ſatisfaciant, ut dum mei rationem habent, non omnino ſalutis ſuæ obliviſcantur.* Addebat porro, *ſe non deſperare Cæſaris miſericordiam, qui non ita ſecum eſſet acturus: veruntamen ſi perſtaret ſententia, petere, ut certo ſibi renuncietur, quo de rebus ad uxorem liberosq; conſtituat.* Hæc elocutus, Erneſtum ad proſequendum latrunculorum ludum blandis verbis provocavit. (5) Hanc erectam præcelſæ mentis in tantis anguſtiis fiduciam merito miratur & extollit doctisſimus prudentisſimusq; Scriptor Italus Scipio Amiratus, cujus verba afferam: *Verum eſt, quod Saxoniæ Dux JOHANNES FRIDERICUS perdiderit Electoratum & magnam terrarum ſuarum partem propter denegatum Carolo V. obſequium: ſed nunquam hominum excidet memoria, nobilisſima magni fortisque animi demonſtratio, cum a Carolo captus & in conſpectum ejus adductus tanquam alter Porus, cui magnitudine corporis & animi haud multum diſpar, illum rogaret, ut, quoniam captivus ejus eſſet, meminiſſet ipſum ut Principem Imperii tractare, ſed ſevere increpitus caput proprio motu tegens, animoſe reſponderet, quod in Imperatoris voluntate eſſet poſitum, cum ipſo agere quod luberet, ſe in ipſius eſſe manibus. Notabilius apparuit, quando mortis metu, ſi Wittebergam non dederet, terrefactus diceret: Non opus eſſe, ut ſibi metus incuteretur, ſiquidem, etſi fortuna ipſum in Cæſaris poteſtatem conjeciſſet, non tamen ab ea ſimul animum ſibi ablatum, quem ab omnibus affectibus humanis liberum retineret. Maxima præ ceteris admiratione dignum annotatur, quod prælecta ipſi mortis ſententia vultum non mutaverit, & adjectis quibusdam vere heroicis dictis Erneſtum Brunſwicenſium Ducem ſollicitaverit ad ludum Scacchorum perſequendum.* (6) Ceterum non vana Cæſaris fuit opinio. Salus enim Principis Wittebergam expugnavit, & Carolus V. Joachimi Brandenburgici Electoris, Wilhelmi Ducis Clivenſis, qui Ferdinandi Regis gener, & captivi Electoris affinis erat, ipſiusque Mauritii Ducis commotus precibus, JOHANNI FRI-

(5) Faletus *lib. 6.* ubi ſimul ſententiam decretoriam exhibet. Idem facit Natalis Comes *lib. 3.* Thuanus *lib. 4.* Hiſtoria rei geſtæ quodammodo patet ex imagine apud Hortlederum, *Part. 2. lib. 3. cap. 81. pag. 722.* ex quo in frontiſpicio hujus Exercitationis fecimus delineari. (6) *Commentariis in Tacitum ex Italico latine verſis,*

FRIDERICO pœnam capitalem in has, quæ ſequuntur, conditiones remiſit: *Septemvirali dignitati tam ſuo quam liberorum nomine renunciet, jusq; ſit Cæſari pro arbitrio de ea ſtatuere. Quicquid per Cæſarem aut Concilium in religione definitum, approbet. Wittebergam & Gotham Cæſari tradat, relictis in ea tormentis, & commeatus tertia parte: ſine armis excedant præſidiarii. Albertum Marchionem Brandenburgicum & Chriſtophorum Landgravium Leuchtenbergicum ſine lytro liberos dimittat, & ademta reddat. Mansfeldicis & Solmenſibus Comitibus, Pruſſiæ Magiſtro, & Eccleſiaſticis ablata reſtituat. Cameræ Imperiali a Cæſare conſtituendæ pareat, & ſumtus in eam ſubminiſtret. Juri Lubecenſi & Hallenſi renunciet. A fœdere Magdeburgico & Halberſtadienſi, atq; omni alio contra Cæſarem & Ferdinandum inito diſcedat, nec ullum deinceps faciat. Henricum Brunſwicenſem cum Carolo Victore filio e cuſtodia dimittat. Nihil contra Daniæ Regem, eosq; qui Mauritio militaſſent moveat. Cæſaris & Ordinum Imperii decreta ſervet. Deniq; in cuſtodia Cæſaris, aut Philippi Filii Hiſpaniæ Principis maneat.* (7) Has omnes, præter eam de religione ratas habuit Elector. In id enim, quod Cæſar aut Concilium de religione ſtatueret, ut aſſentiretur, nulla ratione, ac ne quidem per mortis extrema adduci potuit. Propterea articulum illum Cæſar manu ſua adduxit. (8) His confectis Witteberga demum Cæſari fuit dedita, egreſſisq; Electoralibus, Cæſareanus miles, ſed non niſi ex Germanis lectus, excluſo Hiſpanico, receptus eſt. (9) Poſt illa Electoris conjux libertatem conjugis a Cæſare exoratura, cum filiorum minimo, ut & Johanne Erneſto mariti fratre, ejusq; uxore Catharina urbem egreſſa, Regia Ferdinandi Romanorum Regis ſobole, Johanne Principe Brandenburgico atq; eximia nobilitatis corona ſtipata in Cæſaris venit tabernaculum; cujus advoluta pedibus inter lacrymas & ſuſpiria mariti ſalutem precata, victoris manu allevata, & conjugem adeundi, ac amore aſpectuq; ejus per octiduum in urbe fruendi conceſſa facultate, cum prolixa clementiæ ſigni- 1547.

(7) Avila, *lib.* 2. Godojus, *lib.* 2. Faletus, *lib.* 6. Sleidanus, *lib.* 19. Natalis Comes, *lib.* 3. Surius, *pag.* 553. Thuanus, *lib.* 4. Hortlederus, *Parte* 2 *lib.* 3. *cap.* 72. Maſenius, *lib.* 7. *cap.* 24. (8) Johannes a Münſter, in Diſcurſu Nobili, Quibus mediis Eccleſia reformata ſit, *pag.* 269. Sleidanus tamen *lib.* 19. Merckelius, *d. l. pag.* 1237. & Thuanus, *lib.* 4. manu miniſtri id factum ſcribunt. (9) Faletus, *lib.* 6. Sleidanus *lib.* 19. Thuanus *lib.* 4.

1547. ficatione fuit dimiſſa. (10) Captivus inde Elector ex caſtris in urbem digrediens, appoſitos cuſtodes luculentis donavit muneribus, præfecto ſcilicet ſelectisſimorum equorum quadrigam, ceteris trecentos imperiales elargitus. (11) Ac mox Cæſar Wittebergam ingreſſus, exemplo Magni Alexandri in captas Reginas Perſicas, (12) ſingulari animi moderatione uſus, Sibyllam in arce cum honore inviſit, & ſalute data, bene valere, bonoq; animo eſſe juſſit. (13) Neq; hic loci in ſanctas B. Lutheri exuvias tacenda Cæſaris pietas. Enim vero cum oculis animoq; quam maxime intentis ejusdem contemplaretur ſepulchrum, & Ferdinandus Albanus, Epiſcopusq; Atrebatenſis corporis eff.ſſionem atq; concremationem operoſe requirerent, *Sinite ipſum*, inquit, *quieſcere usq; ad diem judicii omnium!* Addens insuper: *Non gero bellum cum mortuis.* Et ſevere prohibuit, ne quis tumbam violaret. (14)

(10) Avila, *lib. 2.* Godojus, *lib. 2.* Faletus, *lib. 6.* Sleidanus, *lib. 19.* Thuanus, *lib. 4.* (11) Faletus, *lib. 6.* Thuanus, *lib. 4.* (12) Curtius, *lib. 4 cap. 12.* (13) Avila, *lib. 2.* Godojus, *lib. 2.* Faletus, *lib. 6.* Sleidanus, *lib. 19.* Hortenſius, *lib. 6.* Thuanus, *lib. 4.* (14) Videantur Opera Lutheri, *Tomo IX. Altenburgenſi, fol. 1581.* B. Johannes Dannhauerus, *in Memoria Thaumaſiandri Lutheri* Argentorati cIↃ IↃcLXI. celebrata. Chriſtianus Matthiæ, *in Theatro Hiſtorico, pag. 1045.*

XXII.

1548. Eodem anno captivus JOHANNES FRIDERICUS Elector, Carolum V. Cæſarem ſecutus, anno proximo cIↃ IↃ XLIIX. ſolennem Electoratus in Mauritium Ducem translationem mente tranquilla Auguſtæ ſpectavit, ac Oeniponte tandem fuit aſſervatus.

Bello Saxonico ex animi ſententia confecto, Carolus V. Cæſar per Hallas Saxonicas (ubi Philippus Landgravius per famoſas illas artes in ejus poteſtatem venit) Jenam noſtram, Salfeldium, Coburgum, Bambergam iter faciens, (1) cum omnibus copiis Norimbergam pervenit. Imperatorem ſequi cogebatur Elector, qui & ipſe tandem Auguſtam Vindelicorum, quo Carolus indixerat comitia, anno cIↃ IↃ XLVIII. pervenit. In illa urbe XXIV. menſis Februarii die abjudicata JOHANNI FRIDERICO decora atq; inſignia, quibus Electoralis eminet dignitas, cognato ejus

Saxo-

(1) Godojus, *lib. 2.* Mameranus, *in Diario pag. 235.*

Saxoniæ Duci Mauritio, (cui jam tum in caſtris ad Wittebergam eadem contulerat) more rituq; ſolenni confirmavit Cæſar. (2) Magnifici hujus actus ſolennis intrepido vultu ex hoſpitio, quod e regione erat, ſpectavit JOHANNES FRIDERICUS, ac, ut novus Elector novo honore feliciter frueretur, precatus eſt. (3) Nec prætereundum hic loci, quod in laudatis comitiis, quantumvis ad extremas redactus anguſtias Princeps noſter religionem publicam privatis antepoſuerit commodis. Nam etſi Cæſar per Nicolaum Perenotum Granvellanum & Antonium filium Epiſcopum Atrebatenſem magnificis pollicitationibus, ſpeq; libertatis oſtenſa, ipſum ad recipiendam Interimiſticam religionis, quæ noviter conſarcinata erat, formulam ſollicitaret, maluit tamen ſalva veræ fidei religionisq; conſtantia, agitari miſeriis, quam ea turpiter commaculata libertati priſtinæ reſtitui. Et præſenti quaſi Numinis favore, cælitus innoxio fulmine, quod tranquillo gelidoq; aëre repente exaudiebatur (4) animatus, perenni cedro dignum edidit reſponſum: cujus ſummam Sleidanus (5) Chytræus (6) & Thuanus (7) attulerunt: ſed integrum conſignavit ὁ πάνυ Hortlederus. (8) Cumq; poſtea illuſtrisſimi filii oblatam a legato Cæſareo dictam formulam non repudiaſſent modo, ſed & pro concione oppugnari, ac impietatis permiſiſſent accuſari, a Cæſare increpitus, ut ad imperata facienda eosdem hortaretur, in hæc verba reſpondit: *Nequaquam ſe poſſe filiis auctorem eſſe ea ut faciant, quæ ipſe animo tranquillo facere nequeat.* (9) *Atq; hæc* (quæ verba ſunt Chytræi) *illuſtris confesſio periculoſisſimis illis temporibus conſtanter a Duce Saxoniæ Electore captivo edita, majorem optimo Principi in omnium piorum animis, & tota Eccleſia ſanctorum, laudem & gloriam ad omnem poſteritatem peperit, quam ulla victoria bello parte efficere unquam potuiſſent.* (10) Exhinc durius & acerbius Cæſar ipſum habuit, ademtis etiam ſacra codice, dulci miſeriarum levamine, cum Lutheri ſcriptis: omnibusq; concionibus Evangelicis, quin & ſtatis diebus carnium eſu interdicens, in Brabantiam 1548.

 atque

(2) Sleidanus, *lib. 20.* Thuanus, *lib. 5.* Hortlederus, *Part. 1. lib. 3. cap. 85.* (3) Feletus, *lib. 7.* Sleidanus, *lib. 20.* Thuanus, *lib. 5.* [4] Hortlederus, *Part. 2. lib. 3. cap. 88. pag. 950.* [5] *lib. 20.* (6) *lib. 16.* (7) *lib. 5.* (8) *pag. 946. ſeqq.* (9) Sleidanus *lib. 21.* (10) Chytræus *Saxon. lib. 16.*

atq; Flandriam tanquam in triumpho ſecum abduxit, ac Oeniponte tandem cuſtodiæ Hiſpanorum aſſervandum dedit. (11) In ea quotidie iis qui opis ejus indigebant, ad tolerandam vitam aliquid pecuniæ ex feneſtra projiciebat. (12) Ferunt etiam multos, præſertim ex peregrinantibus formæ captivi Principis cognoſcendæ ſtudio frequenter ab Hiſpanis, accepto munuſculo, in hoſpitium intromiſſos fuiſſe. (13) Attamen receptis ſacris Bibliis (quod exemplar in Bibliotheca Academica aſſervatur) in illorum, ut & Hiſtoricorum variorum lectione aſſiduus fuit atq; accubuus (14). Itaq; par tantæ calamitati JOHANNES FRIDERICUS, imo omni miſeriarum confluge major, victus de Victore, deque fortuna ipſa in infelicitate ſua triumphavit. Nam *in tanta rerum adverſitate, quæ vel fortiſſimi cujusq; pectus conſterneret, nulla vox eſt a FRIDERICO audita, nulla dejectioris animi ſignificatio facta, quæ fortunæ commutationem teſtetur:* quæ quod ab hoſte Ludovico de Avila profecta, eo magis æſtimanda ſunt. (15) Hinc ſicuti jam antea *Pii* & *Conſtantis* nomina meruerat, ita nunc quoque propter tantam tamq; incomparabilem animi magnitudinem *Magni, Magnanimi & Invicti*, elogia apud poſteros cum immortali gloria ſua indeptus eſt. (16)

(11) Sleidanus, *lib. 20.* Hortlederus, *l. 1. pag. 950.* (12) Hortlederus, *l. 1. pag. 957.* (13) Hortlederus, *ibidem.* (14) Hortlederus, *pag. 956. 1016.* (15) Avila, *lib. 2.* (16) Fabricius, *Rer. Miſnic. lib. 1. pag. 24.* Dreſſerus, *Iſagog. Hiſtor. part. 4 f. 447.* Hiſtoria Eccleſ. Gothana *l. 2. c. 5. pag. 748 749.* Spenerus *in Syll. Geneal, p. 356.*

XXIII.

1549. Anno cIↄ Iↄ XLIX. fundamenta Jenenſis hujus Academiæ, & quod mireris, abſens in cuſtodia jecit JOHANNES FRIDERICUS. Operis totius gloriam Sereniſſimi ejus filii conſummarunt.

Religionem Evangelicam per Interimiſticam perſecutionem in anguſtias coactam videns, ejusq; graviores caſus timens captivus Princeps JOHANNES FRIDERICUS, prodeſſe ſervatis ex naufragio regionibus ſuis exiſtimavit, ut in locum amiſſæ Academiæ Wittebergenſis aliud religionis bonarumq; artium aſylum conderetur. Ad id, ſuaſu præcipue Gregorii Pontani Cancellarii ſui, & Nicolai Ambsdorffii, Jenam noſtram amœnitate

loci aërisq; ſalubritate commendabilem conſecravit, & ut Sereniſſimi filii laudati oppidi cœnobium Paulinum Auditoriis futuræ Univerſitatis publice dedicarent, ſtatim primo captivitatis anno paterne eosdem monuit. Qui per omnia Parentis voluntati obtemperantes, absq; mora convocarunt viros eruditos, atq; inſequenti anno cIↃ IↃ XLIIX. die XIX. Martii Gymnaſium ſolenniter introduxerunt. (1) Præſentibus Sereniſſima fratrum triga Johanne Friderico II. Johanne Wilhelmo I. & Johanne Friderico III. Ambsdorffio, Aulæ proceribus, Miniſterio Eccleſiaſtico & Senatu oppidano, in felix auſpicium perorarunt Vir perelegantis ingenii, & ſvaviſſima carminum pangendorum facultate præſtantiſſimus Johannes Stigelius: atq; ob egregiam item doctrinam clariſſimus Victorinus Strigelius. Ne autem Jena imago Academiæ magis quam Academia permaneret, redux ex captivitate JOHANNES FRIDERICUS ſanctiſſimi propoſiti firmus, Sereniſſimum filium Johannem Wilhelmum I. una cum aliquot Conſiliariis Bruxellas in Brabantiam ad exoranda a Carolo V. Cæſare jura & privilegia Academica ablegavit. Sed ea, ut ut non denegata fuerint, tamen tunc temporis impetrari nondum potuerunt. Igitur memor mortalitatis piiſſimus Princeps, novæ Academiæ ſalutem, in teſtamenti tabulis Sereniſſimis filiis commendavit, eosque ſerio monuit, ut nihil prius privilegiis impetrandis haberent. Talia moriturus repetens, præterea addidit: *Quamdiu monitorum meorum memores fueritis, excelſiſſime florebitis.* Itaq; Sereniſſimi filii, negotium hoc ſolum ſibi dari crediderunt: ac brevi poſt Patris obitum, communi nomine Johannes Wilhelmus I. pietatis, virtutis omnisque doctrinæ amantiſſimus Princeps, Pragam profectus, privilegia ibidem a Ferdinando I. Imperatore ſubmiſſe rurſus rogitavit. Quæ ut certo promiſſa, ita non multo poſt Viennæ clementiſſime donata excellentiſſimus Legatus Johannes Schröterus. (poſtea primus Academiæ Rector) inde ſecum aſportavit. Tantæ molis fuit Salanam noſtram condere Academiam, ut ad eam conſtituendam contendiſſe Virtus & Fortuna videan-

(1) Breviter Camerarius, *in vita Philipp. pag. 258.* Illuſtriſſimi Principes Duces Saxoniæ mandato Patris, in Duringia congregabant diſſipatas & vagas Muſas, & ſedem his Jenam ad Salam amnem oppidum deſignaverant.

deantur. Solennis hinc introductio in illuſtrisſima panegyri facta eſt anno cIɔ Iɔ LIIX. die II. Februarii, Purificationis B. Virginis Mariæ ſacro, Sereniſſimæ fratrum trigæ, Georgii Erneſti principali dignitate Comitis Hennebergici, Georgii, Ludovici & Caroli fratrum Comitum Gleichenſium, Sigismundi Burggravii Kirchbergenſis, Bartholomæi Friderici Comitis Beichlingenſis, Philippi Comitis Naſſovienſis, Pauli Martini Liberi Baronis a Polhaim, Joachimi & Sigismundi L. B. ab Andlau, Nicolai Ambsdorfii, Conſiliariorum atq; Nobilium præſentia illuſtrata, more majorum orationibus Johannis Friderici II. Chriſtiani Pontani Cancellarii, & Stigelii celebrata, ſplendidis conviviis ludisque equeſtribus finita fuit. Memorabile eſt ſigillum Academicum, brevi ante obitum beatum JOHANNIS FRIDERICI, novellæ Academiæ miſſum, in quo ejus imago cum adjectis Electoratus & Ducatus Saxonici inſigniis, ac, quæ ſequitur, inſcriptione effulget: JOAN: FRI: D: GRA: DVX: SAX: E. LA. THV. M: MIS † ME. AVS. CEPIT. DO. GENA. hoc eſt: JOHANNES. FRIDERICVS. DEI. GRATIA. DVX SAXONIÆ. ELECTOR. LANDGRAVIVS. THVRINGIÆ. MARCHIO. MISNIÆ. ME. AVSPICE. COEPIT. DOCERE. GENA. Sed en ipſam formam Sigilli Academici. (2) In piæ hujus munificentiæ memo-



riam intra Collegii (quod vocant) Academici aream, turri, per quam in proximum templum itur, inſignia Saxonica cum hac, quam ſubjicio, inſcriptione ſunt affixa: CVM.

(2) Hiſtoriam introductionis Academiæ Jenenſis eleganti *epiſtola* ad Marium Siculum ſcripſit Jo. Stigelius. Videantur porro Chytræus, *lib. 19.* Chriſtianus Chemnitius, *in præfatione Rhetoricæ Eccleſiaſticæ*: & Beierus, *in dedicatoriis Syllabi Rectorum & Profeſſorum Jenenſium.*

CVM. DISTRACTA. SVO. BELLISQ: OBNOXIA. FATO:
ABDVCTVM GEMERET SAXONIS ORA. DVCEM:
TEMPLAQ: LVGERENT. PLANTARIAQ: ADDITA TEMPLIS
INGENIIS TRADVNT QVÆ. BONA. VERA. SCHOLÆ:
ILLE. FAVENS. STVDIIS. ET. HONESTIS. ARTIBVS. ABSENS:
HIC DEDIT. AONIIS. OTIA. GRATA. CHORIS.
ORNARVNTQ: DECVS. HOC. SOBOLES. GENEROSA. PARENTIS.
TRES FRATRES. ANIMIS. ET PIETATE PARES.
CHRISTE. TVI. COETVS. CVSTOS ET MAXIME VINDEX:
DA. PACEM. STVDIIS. VT. CELEBRARE BONIS.

ANNO DNI. M. D. LVII.

Ipſam quoque Bibliothecam Academicam a Friderico Sapiente cœptam, a Johanne Patre ac ſe ipſo inſigniter auctam Witteberga tempore illo difficillimo deduci, ne per adverſa belli diriperetur, ſancte aſſervari, ac deniq; novæ Academiæ fecit dedicari: (3) quæ ex eo tempore variis acceſſionibus, & in his Arumæana, ac ante biennium per clementiſſimam Sereniſſimorũ Nutritorũ munificentiã lectiſſima Boſiana bibliothecis mirifice locupletata eſt.

(3) Roſinus, *in Vita J. F. Beierus, d. l.*

XXIV.

Anno cIↃ IↃ LII. Saxoniæ Electore Mauritio Carolum V. Cæſarem cum fœderatis bello opprimente, JOHANNES FRIDERICUS, certis legibus libertati fuit reſtitutus. 1552.

Stabat Mauritius fortitudine & felicitate inclytus Heros a partibus Caroli V. Cæſaris, easq; ſtrenue hactenus defenſarat. Cum autem Philippum ſocerum Haſſiæ Landgravium poſt obnixas tum ſuas tum tot aliorum Germaniæ Principum deprecationes non dimitti, Germaniæq; libertatem periclitari intelligeret; Saxonicæ virtutis memor, audendum aliquid pro ſoceri patriæque ſalute ratus, id quod precibus obtinere non poterat, vi extorquere meditatus eſt. Nihil autem minus expeditionibus bellicis quam feſtinationem temeritatemq; convenire arbitrabatur. Proinde conſiliis in ſummo ſilentio cum Johanne Alberto & Georgio Meckelburgicis Ducibus, Alberto Marchione Brandenburgico, ac Wilhelmo Haſſiæ Landgravio diligenter communicatis, pactisque ſibi adjunctis Senatu Populoq; Magdeburgico, ac porro, inito cum Henrico II. Galliarum Rege fœdere, (1) cum ſociis alias atq;

Digitized by Google

1552. alias, quibus propoſiti cauſas exponebat, edidit epiſtolas. (2) In his præ cæteris memorabilis erat Galliæ Regis, in cujus fronte pileus inter duos pugiones cum lemmate: LIBERTAS. ſplendebat, ſequentem præferens titulum: HENRICVS SECVNDVS, FRANCORVM REX, VINDEX LIBERTATIS GERMANIÆ ET PRINCIPVM CAPTIVORVM. (3) Poſt hæc non diu moratus, tanta celeritate inexorabilem Cæſarem oppreſſit, ut hic audito ejus adventu, curſus magis quam itineris modo, adverſa cœli tempeſtate, concubia nocte, Oeniponte Villacum fugam inſtituere cogeretur. (4) At ne hoſti ad liberandũ JOHANNEM FRIDERICVM daretur ſpatium, (id quod nec ipſe voluit Elector) conditione propoſita ut quocunq; ipſe iret remotis cuſtodibus ſe ſequeretur, donec plenum ad ſuos reditum concederet, valere, liberumq; eſſe juſſit. (5) Et hic Cæſaris mandatis morem gerens, Ipſum Oenipotente Villacum, & exin Auguſtam Vindelicorum ſubſecutus, ibidem ſingulari diplomate abſolutorio, poſtquam certam ſpem perennaturæ clementiæ feciſſet Cæſar, dimisſus fuit. (6.) Ac pœnituiſſe tandem Carolum V. quod tam duriter habuerit JOHANNEM FRIDERICVM, vel id indicio eſt, quod poſt ſolennem imperii abdicationem, cum rerum geſtarum hiſtoriam in mappis depictam in monaſterio Hiſpanico, quo in vitæ reliquum conſumſit, parietibus affigi curaſſet, quoties hiſtoriam capti Electoris ſpectaſſet, ingemiſcens dixerit: *Hunc ſi reliquiſſem, qualis fuerat, manſiſſem & ego, qualis eram.* (7)

(1) Sleidanus, *lib. 24.* Thuanus, *Tomo 1. lib. 10.* (2) Sleidanus & Thuanus *l. l.* Hortlederus, *Parte 2. lib. 4. cap. 4. 5. 9.* (3) Hortlederus, *d. l. cap. 3.* (4) Sleidanus *lib. 24.* Thuanus, *lib. 10.* Natalis Comes, *lib. 5.* Chytræus, *lib. 17.* Surius, *pag. 588. ſqq.* Maſenius, *lib. 7. cap. 78.* (5) Sleidanus & Thuanus *l. l.* Hortlederus, *Part. 2. lib. 3. cap. 88. pag. 957. 958.* (6) Cæſareum diploma exhibet Hortlederus, *d. l. pag 958. 959. 960.* (7) Thomas Stibarus, *de Vita J. F.* & ex eo Chr. Matthiæ, *d. l pag. 1072.*

XXV.

1552. Eodem anno JOHANNES FRIDERICVS captivitate liberatus honorifice ad ſuos rediit.

In priſtinam ergo libertatem aſſertus, & plena ad ſuos redeundi facultate impetrata, Carolo V. Cæſari Auguſtæ valedixit JOHANNES FRIDERICVS, atq; ineunte Septembri iter ingrediens, Pietatis quaſi humeris in patriam fuit reportatus. Lætitiam

illius temporis, concurſusq; civitatum, & vota pene inſerentium coelo manus, juſta oratione perſequi nec vires, nec inſtitutum patiuntur. Ex tanta tamen rerum multitudine pauca delibabimus. Norimbergæ appropinquantem Senatus per duos ex illuſtri ordine, delegatos cum honorifica gratulatione ſuſcepit, eiq; immanis utriusq; ſexus hominum occurrit frequentia, quæ jubilis, lacrymis, plauſibus & votis incredibilem animi prodebat lætitiam. Poſtquam Bambergam ventum, ab Epiſcopo magnifice exceptus & equitatu auctus, Coburgum perrexit. Abhinc cum prope milliare abeſſet, Johannes Erneſtus frater cum lectisſima aulicorum corona, in Ipſum incidit, qui per quinquennium non viſum ſingulari affectu complexus eſt, & inter tormentorum, tubarum ac tympanorum clangorem in civitatem, indeq; per puerorum puellarumq; ſolutis capillis & ſertis rutaceis ornatorum, ac aſſa voce ſolenne canticum *Te Deum laudamus*, decantantium chorum in arcem Ehrenburgum introduxit. Huc brevi poſt Serenisſima Conjux Sibylla cum filio natu majori adventans in oſcula & amplexus ruit. Inde digreſſus Salfeldium pervenit, ibidemq; ſimili mactatus honore Wolffersdorffium petiit. Quod illic aliquantulum moratus, quieti indulſiſſet, eidem cognomen *hilaris reditus*, lingua vernacula die fröliche Wiederkunſt adhæſit. Hinc Jenam noſtram tendens, ex quo in ſaltu Welnicenſis venatione ſe pauliſper refecerat, pranſus eſt in ſinu ejus vallis, ſub fornice, ubi limpidisſimus ſcaturit rivus, accolis Penicke, vulgo propterea hodie *Fons Principis*, der Fürſten-Brunn dictus. Et in tantæ quidem rei memoriam Serenisſimi filii fontis fornicem reſtaurarunt, & inſerto lapidi ſequens Joh. Stigelii epigramma incidi curarunt: 1552.

FONTIS AD HVJUS AQVAM FRIGVS CAPTABAT IN ÆSTV, †
SAXONIÆ ELECTOR; MYSTAQ: CHRISTE, TVVS,
TV FONS JVSTITIÆ, VERÆ FONS VIVE SALVTIS,
SAXONIÆ SALVOS; CHRISTE, TVERE DVCES.

Vt Jenam ventum eſt, maximis omnium congratulationibus fuit exceptus. Ipſi obviam ibant cives armati, cetera oppidi pars, pueri item puellæq; corallis rutaceis cincti, duce grandævo ſenatore, Studioſi porro cum octo Illuſtribus Comitibus & Profeſſoribus

† Sic habent, ipſa inſcriptionis rudera. At apud Hortlederum *Parte II, pag. 961.* legas: *frigus captabat opacum*.

ribus adventum ad hoſpitii inſigne *Atri Urſi* (zum ſchwartzen Bärn) habentis valvas præſtolabantur, advenientem fauſtis ominibus votis & modulatis carminibus excipiebant. Elector de reditu ſuo Comitum & Profeſſorum gratulationes aperto audiebat capite, ipſisq; gratias agebat. Et coronam Studioſorum blandius contuens, ſubridendi vultu ad Johannem Fridericum filium, & Lucam Kranachium, pictorem celebrem ſe convertens dixit: das iſt Bruder Studium. Ceterum tanta fuit Jenæ ſolennitas, ut vix illuſtriorem pompam viderit. Nam omnis ætas, & ſexus, omnis ordo exultabat, ovabat, triumphabat. Cum Vinariam intraret prolixa nivei coloris crux in nubibus refulſit. Poſt illa Iſenacum proficiſcenti obviam procedebant parvuli coronis rutaceis redimiti hymnumq; Davidicum. Pſ. 98. canentes, *Pſallite, Pſallite Deo noſtro, quia mirabilia fecit.* Quam pietatem non ſine lacrymis accipiens, asſidenti Ambsdorffio dixit: *Quis ego ſum, cui Deus talem exhiberi facit honorem?* Atq; ita patriis terris redditus, pie, provide, juſte provincias relictas gubernavit. (1)

(1) Hortlederus, *Parte 2. lib. 3. cap. 88. pag. 906. ſqq.* Roſinus *in Vita J. F.* Heiderus *Vol. I. Orat. IV.*

XXVI.

1553. Anno clↄ Iↄ LIII. JOHANNES FRIDERICVS ad exſtinguendum Oſiandriſmum in Pruſſiam Theologos aliquot & JCtos ablegavit.

Per Interimiſticam perſecutionem anno clↄ Iↄ XLVIII. Noriberga ubi docebat, pulſus Andreas Oſiander, Theologus non ſine lacrymis nominandus, (1) ab Alberto Brandenburgico Pruſſiæ Duce fuit exceptus, & Paſtor Regiomontanus, dein Epiſcopus Sambienſis, & tandem Theologiæ Profeſſor in Academia Regiomontana primarius conſtitutus, nova ibi ſparſit dogmata, ſcilicet *Etiamſi Adam non peccaſſet, nihilominus incarnandum, ſed non crucifigendum fuiſſe filium Dei: Hominis juſtitiam non a fide, ſed a Chriſti in nobis inhabitantis juſtitia pendere: Chriſtum tantum ſecundum divinam naturam noſtram eſſe juſtitiam.* (2) Hinc triſtes Eccleſiæ Evangelicæ

datæ

(1) Sleidanus, *lib. 20.* Chytræus, *lib. 17.* Thuanus, *lib. 11.* Lucas Oſiander, Andreæ filius, *Epit. Hiſt. Eccleſ. cent. 16. lib. 3. cap 1. pag 554.* (2) Sleidanus, *lib. 22.* Chytræus, *lib. 17.* Thuanus, *lib. 11.* Johannes VVigandus, *in Oſiandriſmo.*

datæ ſunt turbæ. Ac in theſibus quidem *de Juſtificatione* inprimis 1553.
nactus eſt Oſiander adverſarios Regiomontanos Theologos, Fridericum Staphylum, Franciſcum Stancarum, Georgium Venetum, Melchiorem Iſinderum, Petrum Hegemonem, qui mirum in modum ore calamoq; cum Oſiandro diſceptarunt.(3) Sed cum frequentibus contentionibus utriq; cedere neſcii, veritus ne neglectum incendium ſumeret vires, & parva ſcintilla contemta magnum excitaret infortunium, diſſenſionem inter illos in compendium mittere laboravit Serenisſimus Marchio Albertus, fundator & nutritor laudatæ Academiæ benignisſimus. Exin Joachimo Mörlino, Theologo excellentisſimo mandavit, operam daret, ut Oſiander cum adverſariis conciliaretur. Qui & frequenter induſtrieq; de concordia cum dictis Theologis tractavit. Verum omnem perdidit operam, & indies magis magisq; Pelidæ ſtomachus, ſive obſtinatus animus utrinq; ſe prodidit. Igitur hinc atq; inde Auguſtanæ Confesſionis Principibus & urbibus primariis Oſiandri miſſa fuere dogmata, Theologorumq; cenſuræ ac judicio ſubmiſſa. Hi omnes (exceptis Würtenbergenſibus, atq; in his Brentio, (4) qui non judicum, ſed conciliatorum aſſumebant partes) concorditer improbarunt, refutarunt, & heterodoxias reum Oſiandrum accuſarunt. Talia perferre ac pati cum non poſſet Oſiander, nimis duriter, & paulo infeſtius quam pro moderatione Theologica, ſcripto publico ſe defendit. (5) Altero hujus disſidii anno (qui fuit ſecundus ſeculi & quinquageſimus) menſe Octobri vita excesſit Oſiander, nec tamen dogma ejus de Juſtificatione ſtatim fuit exſtinctum. Etenim illud quaſi orphanum ſuſceperunt, foverunt atq; tutati ſunt Johannes Funccius & Joh. Sciurus, aliiq; plures, qui ipſum quoq; Marchionem Albertum hoc veneno infecerunt. Cujus etiam favore adjuti, Mörlinum doctrina & eloquio præcellentem virum, ipſis ſedulo pro concione adverſantem, & bella Domini ſtrenue gerentem finibus Prusſicis cedere coëgerunt.(6) Tam miſerabili Evangelicæ Eccleſiæ fortuna motus pientisſimus Princeps JOHANNES FRIDERICUS, graviores turbas atq; calamitates timens, Theologos aliquot &

(3) Chytræus, *d. l.* (4) Lucas Oſiander, *Epit. Hiſt. Eccl. pag. 556.* Chytræus *d. l.* (5) Lucas Oſiander, *d. l.* Chytræus, *d. l.* (6) Chytræus, *d. l.* Thuanus, *d. l.*

Digitized by Google

1553. J&os, puta: Fridericum a Wangenheim, Juſtum Menium, Joh. Stolzium, & Chriſtoph Elephantem in Pruſſiam amandavit, & Albertum veterem amicum, in viam orthodoxam, monſtratis Oſiandri erroribus, reducerent. (7) Quibus familiariter a laudatisſimo Marchione acceptis, cognitisq; eorum mandatis, Funccium, Sciurum, ceterosq; Oſiandri ſectatores doctrinæ confesſionem ſcribere jusſit. Qua Theologis Saxonicis propoſita, utrinq; prolixe de ea diſputatum fuit. Cumq; & præſide Poppone Principe Comite Hennebergico, de iisdem actum eſſet controverſiis, tandem ultra trimeſtre Regiomonti commorati, cum in ſententiis convenire non poſſent, ſcriptis judicio Eccleſiæ ſubjectis, re infecta abierunt. (8) Paulo tamen poſt quievit hæc controverſia, nec fuerunt, qui Oſiandri cauſam odioſe aut pertinaciter agerent aut urgerent. Et Dux Joannes Albertus Mecklenburgibus, Ducis Pruſſiæ gener, conſenſu ſoceri, omnibus Eccleſiæ miniſtris in Pruſſia perſvaſit, ut promitterent, ſe juxta Confesſionem Auguſtanam docturos. Sic pax Eccleſiis Prutenicis reſtituta, eſt. (9)

(7) Chytræus, *d. l.* Roſinus, *in Vita J. F.* ex VVigando. (8) Chytræus *d. l.* (9) Lucas Oſiander, *d. l.*

XXVII.

Eodem anno clↃ IↃ LIII. B. Lutheri Opera in tomos re-
1553. digi cœpta, procurante JOHANNE FRIDERICO ſunt continuata.

Quanti JOHANNES FRIDERICUS Theandrum Lutherũ adamaverit, facile ex dictis *Sectione XV.* æſtimare licet. Neq; minus intelligemus ex præſenti. Ibi enim ſancto ejus corpori æneum erexit monumentum; hic laborioſo animo (ut cum Poeta loquar) ære perennius exigit, regaliq; ſitu Pyramidum altius, quod non imber edax, non Aquilo impotens, aut innumerabilis annorum ſeries & fuga temporum poterit diruere. Ejus ſcripta, inquam pasſim diſperſa, opera Johannis Aurifabri, & Georgii Rorarii, quem ex Dania huic fini evocarat, in certos tomos redigi curavit. Interruptus quidem per Bellonam ſanctisſimus labor; ſed non plane fuit omisſus. Etenim redux ex cuſtodia JOHANNES FRIDERICUS poſt curas de nova Academia, nihil prius, nihilq; habuit antiquius, quam ut hactenus digeſta Lutheri ſcripta per

operas

operas typographicas ad optatum finem perducerentur. (1) Quem igitur Lutherus præclaris ornaverat elogiis, is vicem reddere Luthero per hanc ipſam operum editionem voluit. Commodum enim hic ſuccurrit lectiſſimum de JOHANNE FRIDERICO Lutheri teſtimonium: *En! (Deo ſit laus) caſtum & honeſtum vitæ curſum, os veridicum, manus munifica, pectus, Eccleſiarum, Scholarum pauperumq́; diligens, ſedulum, conſtans atq́; fidum, in malorum vindictam, piorum tutelam.* Sed en Germanica: Hier iſt (GOtt Lob!) ein züchtiges und ehrliches Leben und Wandel / ein warhafftiger Mund / eine milde Hand / Kirchen / Schulen und Armen zu helffen / ein ernſtes beſtändiges treues Hertz / Gottes Wort zu ehren / die Böſen zu ſtraffen / und die Frommen zu ſchützen. (2) Atq; id ipſum teſtantur quoq; Principis noſtri dicta, quibus uno alterove frequentius fuit uſus: *Spes mea in Deo: Fide, ſed cui*: Vertrau / und nicht zuviel. Wies GOtt gefällt / ſo gefällt mirs auch. Ich habs geſtalt ins HErrn Gewalt. (3) Sic cum nonnemo Aulicorum eidem bene inſtructum commonſtrans exercitum, diceret, *En Domine, noſtros defenſores*! confeſtim repoſuit: *O miſeros defenſores, ſi nos Deus non defenderit.* (4)

(1) Videatur Aurifabri Præfatio *Tomo VIII. Altenburg.* præmiſſa. (2) Lutherus Tom. VII. Altenburg. fol. 464 a. b. Huc etiam referas, quod Sereniſſ. Elector Luthero annulum ſignatorum, inſigne Lutheri, roſam ſcilicet cui crux inſerta, referentem ipſe dono obtulerit. Videatur *Hiſtoria Vitæ B. Lutheri Tom. IX. Altenburgenſi* juncta. Et forte hic eſt annulus ille, qui Sereniſſimo Electori Joh. Georgio I. a pronepote Lutheri oblatus ab Ipſo ſumme fuit æſtimatus. Videatur D. Joh. Chriſtfried Sagittarii, *præfatio ad Tom. X. Op. Lutheri.* (3) Hortlederus paſſim in Opere ſuo, *Part. 1. pag 74 Parte 2. pag. 572. 585.* M. Elias Geisler, in Diſput. *de Symbolis* Lipſiæ anno 1674. habita. (4) Martinus Zeilerus, *cent. I. Epiſt. XVIII.*

XXVIII.

Eodem anno cIↄ Iↄ LIII. Saxoniæ Electore Mauritio in acie cum Alberto Marchione Brandenburgico commiſſo, vulnerato, ac brevi poſt occumbente, in conventu Lipſienſi Electoratum ab Auguſto Mauritii fratre JOHANNES FRIDERICUS repetiit: cumq; res ex voto non ſuccederet, in conventu Numburgenſi, certis conditionibus cum Ipſo tranſegit.

Pro-

Procuraverat pacem Paſſavienſem Saxoniæ Elector Mauritius, in tantum laudandus Heros, in quantum virtus & fortuna æſtimari debent. (1) Sed Albertus Marchio Brandenburgicus, publicis privata anteponens, eandem reſpuebat, & tam ſingulari rerum militarium, qua pollebat prudentia, quam copiis ſuis fretus, propriis ſtipendiis bellum proſequebatur. Hinc Bambergenſem & Würzburgenſem maxime Epiſcopos, Imperiiq; aliquot liberas civitates, Noribergam inprimis, gravibus variisq; afficiebat damnis, (2) ac proximis quibusque receptis, & ceteras ſubigere tentabat. Et reformidabat peritisſimi bello Ducis ſibiq; quondam conjunctisſimi potentiam Mauritius, ac propterea nihil quod ſervandæ paci profuturum crederet, intactum relinquebat. Sed quando Albertus omnes preces conditionesq; reſpueret, ſeq; obliq; præſenti bello peti crederet Mauritius; ac inſuper a Camera Imperiali cum aliis ad ferenda ab Albertæ læſis, & tantum non oppresſis, auxilia incitaretur, (3) procellas undiq; imminentes ſubire ſemel ſatius eſſe ducens, quam cavere ſemper, cum Henrico Duce Brunſvvicenſi fœdere ſe conjunxit, ac Franconiam hoſtili agmine aggredi conſtituit. (4) Hæc ut cognovit Marchio, ſingulari ſtrategemate hoſtilem avertit impetum; ſumma ſcilicet celeritate in inferiorem contendens Saxoniam, ac Henrici Brunſvvicenſis Ducatû, inſtar ignis, qui obvias depopulatur incendio ſylvas, devaſtavit. Et tum quoq; Mauritius ad retundendam vim Alberti cum Henrico Duce fatalem ſibi petiit Saxoniam, ibique per Henricum Ruthenum Bohemiæ Cancellarium, Ferdinandi Romanorum Regis nomine, opera adoleſcentis nobilis, Alberto bellum denunciavit, publica cum ipſo concurrere acie expeditisſimus. (5) Et moroſe nimium, nec ſine probris reſpondente Alberto, in Sivershuſano agro ipſum aggreſſus, poſt gravem pugnam fudit fugavitq;. Et felix fuiſſet Mauritius, ſi eandem & vincendi & vivendi habuiſſet fortunam. Enimvero, dum multus in prælio erigendo ſuorum animos fortisſimi Ducis obibat munia, lethali ſclopeti globulo percuſſus, ſaucius in caſtra relatus, poſt paucos dies ex vulnere mortem obiit: attamen tanquam Chriſtianus Epaminondas immortalis vivit,

(1) Sleidanus *lib. 24.* Chytræus *lib. 17.* Thuanus *lib. 10.* Ipſam transactionem habet Hortlederus *Part. 2. lib. 5. cap. 24.* (2) Sleidanus *lib. 24.* Chytræus *lib. 17. & 18.* Thuanus *lib. 10. 11. 12.* (3) Sleidanus *lib. 24.* Thuanus *lib. 12.* (4) Sleidanus *lib. 24.* Thuanus *lib. 12.* Surius *pag. 606.* (5) Sleidanus *lib. 25.* Thuanus *lib. 12.*

vit, vivetq; per omnium ſeculorum memoriam. (6) Poſt hujus obitum fraternas provincias hæreditatis jure Dux Saxoniæ Auguſtus ſibi vendicabat. At JOHANNES FRIDERICUS a Cæſare quondam ademtum repetebat Electoratum. Igitur cum in Dania peregre abeſſet Auguſtus, miſſis ad Mauritii Ordines legatis, Electorale diadema ſibi reſtitui poſtulabat, eaq; de cauſa Johannem Wilhelmum filium in Belgium ad Carolum V. Cæſarem, & legationem ad Ferdinandum Romanum, ut & Chriſtianum III. Daniæ Reges deſtinavit. (7) Interea propere ex Dania redux Auguſtus, omnes fratri ſubjectas provincias in fidē ſuam adegit, atq; Ordinibus provincialibus Lipſiæ conventū indixit. Eo quoq; legatos miſit JOHANNES FRIDERICUS, denuo ſua repetens. Verum Auguſtus pacta Cæſarea quibus teneretur, JOHANNI FRIDERICO in memoriam revocans, ad inveſtituram fratri Mauritio atque ſibi ſimul datam provocabat. Tandem poſt ſemeſtrem fere diſceptationem anno cIↃ IↃ LIV. in conventu Numburgenſi, intermedio Chriſtiano III. Danorum Rege, his transactum eſt legibus: *JOHANNES FRIDERICUS Auguſto cedat Electoratum, qui eo ſine prole maſcula decedente ad ſe ſuosque redeat. Nati Electoris titulo, inſigniúq; tam in obſignandis literis, quam in procudenda moneta, dum viveret, utatur. Auguſtus viciſſim JOHANNI FRIDERICO arcem, civitatem & præfecturam Altenburgenſem reddat; arcem, oppidum, & præfecturam Kœnigsbergenſem in Franconia Würzburgenſi oppignorata Epiſcopo redimat, eiq; cum oppido ac præfectura Alſtedenſi in Thuringia, ſolutis ſimul centum florenorum millibus, reſtituat. Saxonicæ tandem Domus confraternitas hæreditaria ſuperiori bello rupta ſarciatur confirmeturq;.* Transactionem hanc a Ferdinando Romanorum, Chriſtiano III. Danorum Regibus, Auguſto Electore Saxoniæ, Joachimo Electore Brandenburgico, Gvilielmo Duce Juliacenſi, Philippo Duce Pomerano, Philippo Haſſiæ Landgravio, Johanne Georgio Mansfeldenſi, Alberto Georgio Stolbergenſi Comitibus, & Georgio Domino a Schönberg, Georgioq; a Schleiniz, aliisq; ſubſcriptam & obſignatam JOHANNES FRIDERICUS lethali lecto decumbens, paulo ante beatam ἀνάλυσιν, manu ſua ſigilloq; confirmavit, & ut Sereniſſimi filii eandem ſancte ſervarent, eos ſedulo, cohortatus eſt: qui proinde ſtatim ei ſubſcripſerunt. (8) Ceterum Al-

bertum

(6) Sleidanus *lib. 25.* Thuanus *lib. 12.* Dreſſerus *in Iſagoge pag 465. ſeqq.* Fabricius *Rerum Miſnic. lib. 1. pag. 26.* Reuſnerus *d. l. pag. 49.* Spenerus, *d. l. pag. 397.* (7) Sleidanus *lib. 25.* Thuanus *lib. 12.* (8) Sleidanus *lib. 25.* Lucas Oſiander *Epit. Hiſt. Eccleſ. cent. 16. lib.*

bertum Marchionem Brandenburgicum ad JOHANNEM FRIDERICUM veniſſe, eiq; ad recuperanda a Carolo V. Cæſare ademta Mauritioq; data exercitum obtuliſſe memorant. Sed illum, cui pax & quies potior, a talibus conſiliis abſtinuiſſe, ſeq; manſurum in fide ac pace, cetera Deo permiſſurum, neq; unquam bellum ſuſcepturum, neq; gerentem adjuturum eſſe, reſpondiſſe ferunt. (9)

lib 3. c. 16. Thuanus *lib. 13.* Transactio ipſa exſtat apud Hortlederum, *Part. 2. lib. 3. cap. 88. pag. 968. ſeqq.* 9) Camerarius apud Freherum *Tomo III pag. 469.*

XXIX.

Anno cIɔ Iɔ LIV. JOHANNES FRIDERICUS Sibyllam conjugem pie defunctam ſepeliendam curavit Vinariæ.

Nunquam diu eodem faſtigio ſtare fortunam, & in præſenti ſtatu JOHANNES FRIDERICUS documento eſſe poteſt. Mora non erat longa, quando amantisſimam conjugem recepiſſet: & ecce inevitabile fatum rurſus eandem marito eripit. Hujus de virtute, vitæq; exitu & ſepultura pauca referam. Illuxerunt autem Chriſtianæ hujus Principis virtutes præcipue calamitoſo illo tempore, quo marito in cuſtodia Cæſarea detento, viduata fuit: quod ne deflere quidem quisquam ſatis digne, nedum verbis habuerit exprimere. Nam per totum illud ſpatium veſte non alia, quam lugubri uſa eſt: (1) continuis precibus dies noctesque in oratorio publico ac privato miſericordiam divinam pro conjugis liberatione atq; ſalute fatigavit; & ut ſociatis gemitibus idem facerent ſubditi, Litaniam ternis hebdomatim vicibus publice in baſilica Vinarienſi canendam ordinavit. (2) Addidit porro heroico Lutheri hymno, *Serva, Deus, verbum tuum* (Erhalt uns/ HErr/ bey deinem Wort) ſequens votum:

Ach! HErr/ laß dir befohlen ſeyn/
Unſern Landsherrn den Diener dein/
In feſten Glauben Jhn erhalt/
Und rett Jhn aus der Feind Gewalt!

Inq; his adverſis, quatenus ſuppetebat facultas, non deſtitit conſolari conjugem ex divinis oraculis, præcipue ex Pſalmis Davidicis (quos omnes ita familiariter noverat, ut quemcunq; nominares verſum, illa recenſere integrum poſſet Pſalmum, ſignificato & numero & loco) (3) eoq; fidæ conjugis affectum copioſe (4) demonſtravit. Reduce marito, una

[1] Stolzius *in Oratione funebri* Sibyllæ dicta, apud Hortlederum *Part. 2. lib. 3. cap. 89. pag. 988.* [2] Stolzius *d. l. p. 687.* (3) Academiæ Jenenſis Programma ad Sibyllæ funus apud Hortled. *P. 2. l. 3. c. 88. p. 976.* (4) Stolz. *d. l. p. 687.* conf. Th. Spizelii Fürſtl. Heldenſchiff.

una cum Eccleſia ſolenniter Deo egit gratias, hac, quæ ſequitur, pericopa: (5)

Wir dancken dir / du treuer GOtt /
Daß du unſers Lands-Fürſten Noth
Gewendet haſt ſo gnädiglich /
Regier Jhn forthin ſeliglich!

Atque tunc demum voti ſui compos facta (namque a Divino Numine ſincera fide, ſpeque conſtanti multis cum lacrymis precata, liceret ante mortem, liberationem, felicemque mariti reditum ſuis oculis cernere) ſatis ſe vixiſſe, putans, nil niſi diſſolvi, & cum Chriſto eſſe deſideravit, anhelavit. Hæc meditanti ſupremum ſupervenit tempus, ad quod placide ſe compoſuit, dicens: *Etiamſi mortis vel vitæ mihi daretur optio, libentiori tamen animo vellem arripere mortem.* (Wo mir die Wahl gelaſſen ſolte werden / wolte ich lieber ſterben / denn in dem Jammerthal und betrübten Leben länger leben.) (6) Cumque differretur paulo dies expectatus, gravi morbo afflictata diu, cœli cupidisſima, *ah! chare Domine, quæ mora eſt!* (Ach! lieber HErr / wilt du nicht bald kommen!) ſubinde ingeminavit. (7) Tandem compoſitis manibus, oculos ad cœlum elevans, atque divinum oraculum, *Sic Deus dilexit mundum*, orans, in conſpectu optimi mariti, dulcisſimorumque liberorum ipſam voculam *Amen* ſpirans, pie placideque obiit. (8) Funus Conjugis JOHANNES FRIDERICUS dignis principe celebravit exequiis, exanimumque corpus, cunctis ſubditis non ſecus atque in domeſtico luctu mœrentibus, in templo Vinarienſi oppidano tumulo inferri curavit. Ipſe quoque, infirma quantumvis valetudine, lectica vectus ſupremum honorem, amoremque dilectisſimæ conjugi exhibuit. (9) Id vero ſingulariter notandum, quod JOHANNES FRIDERICUS defunctæ eligens in templo conditorium, propriam jam tum præſagiverit animo mortem, his uſus verbis: *Et mihi relinquite locum brevi poſt ad Chriſtum profecturo.* (Laſt mir auch ein Räumlein / ich werde bald zu meinen HErrn Chriſto wandern.) (10) Illuſtribus pientisſimæ Principis Manibus parentarunt Johannes Stolzius, Concionator auli-

H 2 cus,

(5) Stolzius, *pag. 987. 989.* (6) Sleidanus, *lib 25.* Thuanus, *lib. 13.* Stolzius, *d. l. p 989.* (7) Stolzius, *d. l. pag. 989.* (8) Stolzius, *d l pag. 989.* (9) Hortlederus, *d. l. pag. 966.* (10) Academiæ Jenenſis programma, quo JOHANNIS FRIDERICI funus indixit, & Ambsdorffius apud Hortlederum, *Parte 2. lib. 3. cap. 88. pag. 980. 1006.* Conf. *d. l. pag. 966.* Sleidanus, *lib. 25.* Fabricius, *Rerum Miſnic. lib. 1. pag. 26.* Roſinus *in Vita J. F.* Thuanus *lib. 13.*

Digitized by Google

cus, (11) eorumque virtutes Wittebergæ ſummis decoravit laudibus facundisſimum os Melanchthonis, (12) Sepulchrali lapidi hæc inciſa leguntur:

Im. 1.5.5.4. Jare den ein und zwanzigſten. February. zwiſchen. Acht. und nein Uhr. zu Abends. Iſt die Durchleuchtig hochgebohrne Fürſtin. und Frau. Fr. Sibylla geborne Herzogin von Jülig. Cleſ. und Bergen etc. Landgreffin in Düringen. und Marggreffin. zu. Meißen. von dieſer Welt. abgeſchieden. in Chriſto ſeliglich. entſchaffen. und liegt. alhi begraben. (13)

(11) Legi poſſunt Orationes duæ funebres apud Hortlederum, *d. l. cap. 89. pag. 981. ſq.* [12] Habetur *Tomo II. Orationum Philippi, pag. 757. ſeqq.* (13) Sic ex ipſo cenotaphio Vinarienſi deſcripſi. Habetur etiam apud Hortlederum, *d. l. pag. 980.*

XXX.

Eodem anno cIↃ IↃ LIV. JOHANNES FRIDERICUS curarum vitæque ſatur, ſupremum diem obiit, & Vinariæ ad latus Sibyllæ conjugis ſepultus eſt.

Non poterat eorum mors eſſe ſeparata, quorum vita fuerat conjunctisſima. Enim vero JOHANNES FRIDERICUS cum Sibylla conjuge & vivere amabat, & obire libens. Credidiſſes unam mentem in duobus corporibus fuiſſe diviſam. Igitur cœli appetentisſimus, Ambsdorffium, virum genere & eloquio nobilisſimum, ſibique familiarisſimum accerſivit. Huic inter lacrymas & ſuſpiria peccatorum ſuorum confesſionem propoſuit, ab eoque & Johanne Stolzio, Concionatore aulico ex ſalvifico Dei verbo erectus, Sacræ Cœnæ factus fuit particeps: ac porro ſe divinæ voluntati commendavit, his conceptis uſus verbis: *Si vivo, Domino vivo, ſi morior, Domino morior: amantisſimo Deo me totum tradidi, eique omnia commiſi. Ipſe pro voluntate ſua divina bene faciet.* Lebe ich / ſo lebe ich dem HErrn / ſterbe ich / ſo ſterbe ich dem HErrn. Ich habe mich dem lieben GOtt befohlen / und dem alles heimgeſtellt / der wird es wohl machen nach ſeinen göttlichen Willen. Poſtea Serenisſimis filiis gravisſimas vitæ regulas præſcribens, perſancte mandavit: *Pietatem colant: Concordiam ſervent: Subditis ſuis gratioſe imperent, nec tributis novis diſcrutient. Deum enim timendo; & ei conſtanter ſerviendo mille benedictiones e cœlo ſibi*

fint

ſint attracturi, quæ ab ipſis in ſubditos deriventur. Hæc omnia manu ſtipulata ſervanda promiſerunt filii. Tum cum Stolzio ex Scriptura ſacra ſanctum habuit colloquium, ejusque expoſitiones ſollicite audivit. Poſthæc noctu per ſomnum viſus eſt ſibi adſtantem præſtantisſimæ gravitatis videre virum, ſeque his alloquentem: *Si haberes illum, qui tuus altor & educator, quique tecum fuit, & mores tuos habet cognitos, tunc demum optime tecum eſſet actum:* Wann du den hätteſt / der dich ernehret und erzogen / der bey dir geweſen / und deine Weiſe wohl weiß / dann würde dir wohl geholffen werden. Ceterum oblata hac ſpecie admodum lætus, præſentibus miniſtris horis matutinis retulit, iterumque lectisſimorum Scripturæ dictorum explicationem ex *Paulina ad Romanos epiſtola capite V.* & concione Chriſti *Matthæi X. 28.* attente audivit. Tandem clara voce has ad Deum preces fudit: *Miſerere mei, Domine Deus Pater cœleſtis. Ah! Deus, miſer ego ſum peccator, de bonitate tamen tua & miſericordia non deſperabo, quæ millies multo omnium hominum peccata antecellit. Miſerere mei propter Filium tuum dilectisſimum.* Erbarm dich mein / GOtt himmliſcher Vater / erbarm dich mein: Ach! GOtt / ich bin ein armer Sünder / doch will ich an deiner Güte und Barmhertzigkeit nicht verzagen / die da viel tauſendmahl gröſſer iſt / denn aller Menſchen Sünde. Erbarm dich mein umb deines lieben Sohnes willen. Et dictum Johannis III. *Sic Deus dilexit mundum*, flagranti fide orans, ſonorum duxit ſuſpirium: ac porro eloquebatur; *Domine Deus, in manus tuas commendo ſpiritum meum: ſis mihi peccatori propitius!* Cumque Ambsdorffius morituro acclamaret: *Velletne in merito Chriſti mori?* clara voce: *Imo, Imo*, dixit. His dictis, ſub oculis oculisſimorum liberorum, amor & deliciæ Germani generis animo tranquillo placidoque, ad felix conſortium Salvatoris ſui JESU CHRISTI, ſanctorum Angelorum, piorum hominum, amantisſimæque conjugis, ex lacrymabili vita in palatia pacis, facili εὐθανασίᾳ vix advertentibus qui præſentes adſtabant, decimo poſt obitum Conjugis die excesſit, ac cœleſtem animam cœlo reddidit; poſtquam annos unum & quinquaginta ac menſes tres vixiſſet. (1) Ferunt eo ipſo tempore Nebræ, Thurin-

(1) Hortlederus, *Parte 2. pag. 966. 967. 968.. 975. 1006. 1007.* Sleidanus, *lib. 25.* Chytræus, *d. l. lib. 17.* Thuanus, *lib. 13.*

Digitized by Google

ringiæ oppido binas in cœlo cruces purpureas comparuiſſe (2) nec non multa tum viſa pareliæ, quæ non raro Magnatum mortem portenderint (3) Inclytas pientisſimæ animæ exuvias, ut ipſe præſcripſerat, ſine ulla ſingulari pompa funebri, Chriſtianis ceremoniis, inter ſubditorum fletus & gemitus, tanquam ſupremi honoris palmas, quas funebri imponere fas, piumque judicabant, proprio ad conjugis latus electo ſepulchro intulerunt. Orationes funebres habuerunt Nicolaus Ambsdorffius, Juſtus Menius, & Johannes Stolzius. Stigelius tanquam ſingularia annotavit, quod Elector ultima verba cum Salvatore & Luthero habuerit communia; quodque vexillum in baſilica poſt Chriſti in cruce pendentis imaginem fuerit ſuſpenſum. (4) Cippo ſepulchro impoſito ſequentia leguntur inſcripta: (5)

Im. 1.5.5.4. Jahre. Den driten Marty zwiſchen nein und zehn Uhr. vor Mittag. iſt der Durchleuchtigſt. Hochgebohrne Fürſt. und. Herr. Herr. JOHANNS FRIEDRICH. der Elder. Herzog zu Sachſen. und gebohrner. Churfürſt. Landgraff. in Düringen. Marggraff. zu Meißen. von dieſer Welt. abgeſchieden. in Chriſto ſeliglich. entſchlaffen. und liegt. alhi. begraben.

Magnificum ipſi monumentum in templo Vinarienſi a Serenisſimis filiis ſequenti anno poſitum, hodieque maximum ornamentum ejus loci: quippe in ſummo choro altare fuit conſtructum, in cujus umbilico comparent imagines Chriſti crucifixi & Johannis Baptiſtæ agnum ad pedes ejus conſiſtentis monſtrantis digito, ut & Lutheri & Kranachii (quem & ipſum hoc opus pinxiſſe ferunt) in dextra autem ala JOHANNIS FRIDERICI & uxoris Sibyllæ; in ſiniſtra Serenisſimæ fratrum trigæ conſpiciuntur imagines. His ſuppoſita viſitur ſequens inſcriptio:

ILLVSTRISSIMIS ET INCLITIS PRINCIPIBVS D. JOHANNI FRIDERICO I. DVCI SAXONIÆ, IMPERII ROM. NATO ELECTO.

(2) Roſinus, *in Vita J. F.* (3) Hortlederus, *Parte 2. pag 976.* ex Johannis Garcæi *Meteorologia*. (4) *Singulari Epiſtola de morte* JOHANNIS FRIDERICI apud Hortlederum *Parte 2. pag. 1006. ſqq.* (5) Habentur & apud Hortlederum, *pag 996 ſqq.*

LECTORI. LANDGRAVIO THVRINGIÆ MARCHIONI MISNIÆ, &c. ET D. SIBYLLÆ. NATÆ DVCI CLEVENSI, BERGENSI, &c. DESIDERATISSIMIS PARENTIBVS LVCTVOSI FILII, JOHANNES FRIDERICVS II. JOHANNES WILHELMVS, JOHANNES FRIDERICVS III. GRATITVDINIS ERGO, POSVERVNT.

ANNO DNI. M. D. LV.

CONFESSIS STABILI, PER SÆVA PARENTIBVS ARMA
JVSTIFICAM PIETATE FIDEM, PIETATIS AMANTES,
GRATIA PIIS SOBOLES, VNO TRES PECTORE FRATRES,
HANC TABVLAM POSVERE, ANNIS VT EVNTIBVS ESSET
ADSERTÆ FIDEI MONVMENTVM, ET PIGNVS AMORIS.
CHRISTE TVIS PRÆSENS QVI TVTA VMBRACVLA PRÆBES,
VT SVPERENT ETIAM QVÆ NON SVPERANDA PVTANTVR,
DA PACEM ATQ. HOSTES COMPESCE, TVERE TIMENTES
TE MEDIANTE PATREM, CVJVS SAPIENTIA SPLENDES.
I PROCVL INFELIX HOMINVM SAPIENTIA, JVSTVM
ANTE DEVM IN SOLO REDDIT FIDVCIA CHRISTO. (6)

Ipſi etiam ab Eccleſia Chriſtiano-Evangelica honorificum epitaphium datum eſt, quod cum amor piorum expreſſerit, nullam habuit invidiam, magnæque fuit gloriæ. Factum autem ita:

JOHANNES. FRIDERICVS DEI. GRATIA. ELECTVS. MARTYR. JESV. CHRISTI. DVX. AFFLICTORVM. PRINCEPS CONFESSORVM. FIDEI. COMES. VERITATIS. SIGNIFER. SANCTÆ. CRVCIS. ANTESIGNANVS. PATIENTIÆ. ET. CONSTANTIÆ HÆRES. VITÆ. ÆTERNÆ. OBDORMISCENS. IN. CHRISTO. MIGRAVIT. EX. HAC. MISERRIMA. VITA. IN. COELESTEM. PATRIAM. VINARIÆ. MENSE. MARTIO. DIE. III. ANNO. M. D. LIV. ÆTATIS. LI. (7)

Et hæc ſunt, *Lector Benevole*, quæ mihi ingenio tam imbecilli, & exigua eruditione inſtructo de *Hiſtoria* JOHANNIS FRIDERICI licuit commentari. Te vero, quisquis legere non gravaberis has chartas, etiam & etiam oro atque obteſtar, ut ſi qua exciderint mihi errata, non idcirco odioſe differas, multo minus benedicta per calumniam tradu-

(6) Ex ipſis cenotaphio & tabula honoris deſcripſi Vinariæ. [7] Chytræus, *in Saxonia lib.* 18. Nathan Chytræus, *in Deliciis Itiner.* Reuſnerus, *d. l. pag.* 44. Zeilerus, *Parte* 2. *Itinerarii Germaniæ, cap.* 17. Ægidius Strauchius, *d. l. pag.* 89. 90. Spenerus, *d. l. pag* 356. Illud tamen notes, non reperiri Vinariæ: utut ſic etiam ſcripſerit Reuſnerus.

Digitized by Google

traducas, ſed errantem amice caſtiges, & in viam reducas. Si meliora dederis, non mihi fuerit invidiæ, ſed tibi potius tuisq; auſis gratulabor. Scias tamen non parvo hæc labore multoq; ſudore mihi conſtitiſſe, ex quibus non gloriolam aucupari, ſed miram Dei omnipotentis providentiam celebrare fuit animus. Quod reliquum eſt, ÆTERNVM FELICITER! Sereniſſimæ Domui Saxonicæ animitus acclamo, intimisq; ſuſpiriis auream pacem a miſericordia divina exopto! Quo voto finiens, Deo Patri æterno Creatori, Deo Filio JESU CHRISTO, æterno Redemptori, Deo Spiritui Sancto, æterno Sanctificatori, Deo meo in trinitate uni, & in unitate trino, gratias, laudesque ago, agamque dum ero, in æternitatem!

Dulcis Amice, Tibi ſcribendi occaſio prima
SAXONIS hiſtoriam, nomen erat geminum.
Non igitur dubito, quin ſcriptio docta pararit
Ut gemino creſcat nomen honore tuum.

Præſtantiſſimo Eruditiſſimoque Exercitationis Hiſtoricæ de JOHANNE FRIDERICO Saxone Auctori *ὁλοκαρδίως gratulatur, Eidemque felicia quævis apprecatur*

P R Æ S E S.

S O N N E T.

Schaue/ JENA/ deinen Fürſten/ der dich groß und klug gemacht/
Aus dem Grabe noch einmahl Leuten unter Augen treten:
Aus den Hertzen derer/ die ihren Helden noch anbeten/
Dir und aller Welt ſich zeigen voll von Anmuth/ Macht und Acht.

Siehe wie die Himmels-Liebe Ihm aus ſeinen Augen lacht:
Wie Er Großmuth und Vernunfft braucht zu Führern und zu Räthen/
Daß Er Schutz und Nutzen ſchaff' Dir und vielen Land und Städten:
Wie der treue Landes-Vater vor euch ſeine Kinder wacht.

Mercke die Beſtändigkeit/ die ihm hohen Ruhm gegeben/
Damahls wie er ohne Reich lieber als ohn Glauben leben.
Und ſein Blut daran wolt' ſetzen. Spiegel wahrer Frömmigkeit!

Ebenbild der Helden-Art/ die recht Chriſtlich ſich bemühen
Jenen Himmel dieſer Welt wohlbedächtig vorzuziehen/
Verluſt/ Gefängniß/ Bande/ Todes-Zeitung ihnen dreu't.

J. von Mellen/ aus Lübeck.

Digitized by Google